CATHOLIC BOOK AGENCY
PIAZZA PONTE S. ANGELO, 28
ROME (ITALY)

HARVARD LAW LIBRARY

542 v. 2
III
doppio

MANUALE

DE INDULGENTIIS

AUCTORE

BENEDICTO MELATA

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California
BIBLIOTECA
COLLEGIO APOSTOLICO LEONIANO
ALMA COLLEGE
236.49
LIBRARY
M481
Alma, California

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA A. BEFANI
—
1892

26782

AUCTOR SIBI RESERVAT
IUS PROPRIETATIS.

Cum Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, rite peracto examine opusculi, cui titulus *Manuale de Indulgentiis, auctore Benedicto Melata*, repererit decreta huius Sacrae Congregationis itemque indulgentias in eo esse fideliter relatas typis imprimi ac publicari posse benigne permittit. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 28 Septemb. 1892.

† Alexander Arch. Nicopolit.
Secretarius.

PROEMIUM

Antequam manum admoveamus ad praesens Opus, nonnulla praemittenda censemus de *ratione* et *divisione* eiusdem, ac de *fontibus* unde doctrinam hausimus.

I. DE RATIONE ET DIVISIONE.

Porro praecipua causa quae nos movit ad scribendum, fuit non tam emolumentum christifidelibus in hoc saeculo viventibus exhibendum, quam potissimum animabus piacularibus flammis addictis solamen procurandum. Quamvis enim " Romanorum Pontificum Apostolica solicitudo numquam defuit in elargiendis de ipsius Ecclesiae thesauro innumeris indulgentiis, animabus praesertim in purgatorio detentis applicabiles „ (Decr. S. I. Congr. 20 Nov. 1854 in *Rescripta authentica* pag. 304); tamen eiusmodi largitas, ubi debitae conditiones non rite serventur,

prorsus incassa evaderet, maximo animarum detrimento. Quod quum omnibus temporibus dolendum sit, tum maxime aetate hac nostra, in qua defunctorum animae ingentem iacturam passae sunt ex tot beneficiorum ac piorum legatorum suppressione; in quorum locum per indulgentiarum applicationem compensatio veluti aliqua ex fidelium pietate haud difficile offerri posset.

Iamvero, dolendum est indulgentiarum doctrinam non ita late diffusam esse ut excellentia rei mereretur et utilitas, non solum propria, sed et defunctorum exigeret. Quare bene tam de vivis quam de defunctis mereri dicendi sunt qui curant, non solum verbis, sed praesertim scriptis in vulgus ampliorem ac distinctiorem notitiam de hoc *thesauro non deficiente in coelis* proferre. Procul dubio non desunt de indulgentiis Tractationes et quidem optime exaratae, at non videtur opus inutile facturus ille qui novas in lucem edat elucubrationes, praesertim si forma aliquantisper diversa, ita ut detur lectoribus inter plures huius generis libros seligere quem magis proprio ingenio accommodatum invenient.

His itaque rationibus adducti, consilium inivimus in lucem edere hanc de indulgentiis tractationem, quam *Manuale* appellavimus eo quod potissimum ad praxim sit destinata et *ad manus* sacerdotum, in quorum praesertim commodum elucrabata est, esse possit. Eam autem in duas partes dividemus, in quarum prima loquemur de indulgentiis *in genere*, in altera de indulgentiis in *specie*. Adiicimus etiam duplicem appendicem, quarum una continet *documenta* scitu valde utilia, altera vero praecipuas *formulas* Benedictionum quae magis ad praxim inservire possunt.

His breviter praenotatis de ratione ac divisione operis, restat nunc aliquid dicendum de fontibus, ex quibus materiam seu doctrinam ipsam hausimus.

II. DE FONTIBUS.

In indulgentiis considerari potest tum illud quod ad revelationem spectat, ac proinde ad *Ius* ipsum *divinum* pertinet, tum illud quod a legibus ecclesiasticis determinatum est, quodque proinde est in *Iuris*

humani seu *ecclesiastici* dominio. Quare fontes, ex quibus doctrina de indulgentiis desumitur, duplicis sunt speciei, scilicet *fontes iuris divini* ac *fontes iuris* humani seu *ecclesiastici*.

FONTES IURIS DIVINI.

Fontes iuris divini nihil aliud sunt, quam ipsi sic dicti *Loci Theologici*, unde traduntur et confirmantur dogmata Fidei. Cum hi bene noti sint iis, qui theologicis disciplinis animum applicuerunt et quibus praesens opus praesertim destinatum est, non insistemus in iisdem enucleandis.

FONTES IURIS ECCLESIASTICI.

Fontes iuris ecclesiastici, seu loci ex quibus illud hauritur, in genere sunt omnia documenta quae leges de ecclesiastica disciplina latas continent, et duplicis sunt speciei, scilicet *publici* vel *privati*, prouti eiusmodi documenta exarantur vel ab ipso Legislatore vel ab auctore privato. Distinctim de utrisque loquemur.

Et, primo quoad fontes publicos, duo sunt

inquirenda: 1° *an sint* et 2° *quaenam sit eorumdem auctoritas*. Quod ad primum attinet, ut patet, in praesenti materia sermo non est an adsint seiuncta documenta, quae unam vel alteram dispositionem circa indulgentias referant; sed an adsint *Collectiones* eiusmodi legum.

Iamvero cum indulgentiae pars sint iuris ecclesiastici, iidem fontes qui a tractatoribus iuris canonici huic assignantur, indulgentias ipsas pro sua parte respiciunt. Sed praeter hos fontes, quos indulgentiae *communes* habent cum ceteris partibus iuris canonici, non multis abhinc annis *proprios* etiam ipsae vindicare coeperunt, scilicet:

Decreta authentica *Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae ab anno 1668 ad annum 1882, edita iussu et auctoritate Sanctissimi D. N. Leonis PP. XIII. — Ratisbonae, Neo Eboraci et Cincinnatii. Sumptibus, chartis et typis Friderici Pustet, S. Sedis Apost. et S. Congreg. Indulg. et Reliq. typogr.* mdccclxxxiii.

Raccolta *di Orazioni e Pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici*

le SS. Indulgenze. — Roma, tipografia Poliglotta della S. C. di Propaganda Fide 1886.

Quod vero pertinet ad auctoritatem [1]) horum fontium, ea maxima est: non enim desumitur tantum ex genuinitate documentorum, sed potissimum ex approbatione data ab ipso Legislatore universae *Collectioni*.

[1]) Ad clarum conceptum exhibendum de authentia seu auctoritate operum, opportunum duximus hic referre ea quae de hac habet Card. Franzelin in *Tract. de divina Traditione et Scriptura*, Romae MDCCCLXX pag. 454 et sqq.

" Nomen ἀυθεντης significat apud grecos scriptores eum qui potestatem seu auctoritatem habet. In iure autem nomen transfertur ad scripta et instrumenta praesertim publica, quorum *authentia* idem est ac auctoritas ad faciendam fidem non unius semper modi, sed eam ad quam faciendam proferuntur. Potest 1° quaeri de auctoritate instrumenti in ipsa sua origine atque adeo in ipso ἀυτογραφῳ, quam possumus dicere *authentiam originalem*. Haec revocatur ad auctoritatem eius, qui est ipse auctor princeps instrumenti. Unde si constet de auctoritate eius, cui scriptum tribuitur, quaestio de authentia originali instrumenti coincidit cum quaestione de eiusdem genuinitate. Hinc factum est, ut authentia et genuinitas documentorum saepe confundantur, licet notio utriusque non sit omnino eadem. Potest 2° supposita authentia originali, quam diximus, quaeri de authentia exemplarium, quae sunt sive ἀπογραφα sive versiones. Si scriptum originale habet auctoritatem, ut supponitur, sane exemplaria descripta et versiones, saltem intrinsecus et in se, eamdem habent quatenus conformia sunt ipsi originali. Unde possumus hanc dicere *authentiam conformitatis*. Haec

Quare: *a*) etiamsi dubium forte aliquod suboriri contingeret de genuitate unius vel alterius documenti seorsim inspecti, tamen eo ipso quod ei in authentica Collectione locus est datus, tamquam authenticum retinendum est ex vi ipsa, quam mutuatur ex approbatione Collectionis, ad quam pertinet;

ergo, originali authentia supposita, coincidit cum integritate (exclusione interpolationis et corruptionis) in exemplaribus, et cum fidelitate in versionibus. Sed si originale ipsum auctoritatem non habet, integritas exemplarium et fidelitas versionum nonnisi improprie dici potest authentia.... Praeter hanc distinctionem, alia in usum venit inter *authentiam* intrinsecam et extrinsecam. Authentia intrinseca est ipsa auctoritas quae inest scripto vel instrumento ex sua origine et ex conformitate cum originali authentico; authentia extrinseca, omnino generice sumpta potest dici authentia intrinseca quatenus manifestata est.... Haec manifestatio potest et ipsa esse duplex, *privata* et *publica*... Si instrumenta sunt publica, quibus societas ipsa utitur, regitur, in suis legibus constituitur, potest quidem etiam historice et critice manifestari intrinseca authentia eorum. At talis manifestatio nondum constituit authentiam extrinsecam huiusmodi instrumentis convenientem... Eorum enim auctoritas debet esse publica pro tota societate; sed talis eius manifestatio est solum privata pertinens ad paucos, quatenus singuli ipsi eam intelligunt. Societas tota non regitur nisi auctoritate; unde *authentia extrinseca* proprie dicta publicorum instrumentorum constituitur tantum per declarationem vel expressam vel aequivalentem, quae fiat ab ipsa publica auctoritate societatis. „

b) Si plures harum Collectionum editiones, ipsius Legislatoris iussu et auctoritate prodant, ut v. gr. accidit pro *Raccolta* etc., tunc, siquid inter ipsas discriminis esset, ultimae editioni tamquam recentiori legi standum esset. Quae varietas, si adesset, nullam parere deberet admirationem, cum in re disciplinari aliquid immutare opportune aliquando expediat;

c) Tandem animadvertendum est quod si aliquod Decretum forte non inveniatur comprehensum in his collectionibus, non eo ipso retinendum est uti apocryphum. Quin imo, si eiusdem genuinitas probetur, nec Decretis quae in collectione continentur contrarium reperiatur, ut omnino authenticum habendum est.

Nunc vero ad fontes *privatos* devenientes, eos dicimus, in genere, omnes libros, qui a privatis auctoribus exarati, de indulgentiis pertractant. Fontes autem eiusmodi non solum inservire possunt ad legum cognitionem, sed potissimum ad earumdem interpretationem. Notum enim est interpretationem triplicis esse generis, *authenticam*, *usualem*,

doctrinalem. Atqui ex huiusmodi libris desumitur *doctrinalis* interpretatio. Cum vero quidam ex eiusmodi libris a Sacra Indulgentiarum Congregatione *approbati* fuerint, aliquod dicendum superest de vi huius approbationis.

Itaque, huiusmodi approbatio duo iudicia comprehendit, *positivum* unum, *negativum* alterum. Iudicium *positivum* respicit decreta quae in his libris continentur, de quibus affirmatur conformia esse originalibus; quare huiusmodi libri et ipsi aliquo sensu authentici vocari possunt: iudicium vero *negativum* respicit doctrinam Auctoris, sc. declaratur in libro nihil contineri, quod *evidenter* contrarium sit legibus indulgentias respicientibus.

In commodum studiosorum hic subiicimus elenchum Auctorum, qui speciales Tractatus de indulgentiis ediderunt, et quos in hoc nostro opere concinnando prae manibus habuimus, asterisco notantes qui a S. Indulgentiarum Congregatione approbati sunt. Hoc tamen nostro elencho, ut patet, non omnes includuntur auctores qui de Indulgentiis peculiariter pertractarunt.

Addimus postremo de hac materia suis locis disseruisse omnes veteres Scholasticos et recentiores Theologos, sive Dogmaticos sive Morales; quos inter de veteribus nominamus, praeter S. Thomam, Lugonem, Suaresium, Billuart, et Theodorum a Spiritu Sancto, et de recentioribus Palmieri, quorum vestigiis pressius adhaesimus.

Romae, anno L a consecratione episcopali SS. D. N. Leonis PP. XIII:

Quem Dominus conservet et vivificet et beatum faciat in terra, et non tradat in animam inimicorum Eius.

ELENCHUS AUCTORUM

Acta Sanctae Sedis, necnon Magistrorum et Capitulorum Generalium Sacri Ordinis Praedicatorum, pro Societate Sanctissimi Rosarii, Confraternitatibus sodalitiisque Rosarii viventis et Rosarii perpetui, Reverendissimi Patris Fr. Iosephi Mariae Larroca eiusdem Ordinis Magistri Generalis iussu edita. Lugduni, typis Xaverii Ievain anno MDCCCLXXXX [1]).

Amort † 1775 [2]). De origine, progressu, valore ac fructu indulgentiarum, necnon de dispositioni-

[1]) Opus hoc ad manus nostras pervenit tunc cum iam impressum erat quod de Rosario dicimus (v. pag. 145). Pergratum est nunc addere, ex hoc Opere desumptum, quod non omnes indulgentiae Rosarii sunt reales: quare, etiamsi absque corona benedicta rosarium dicatur, plures indulgentiae acquiri possunt ex recitatione eiusdem. — Cum initium tituli huius libri idem sit ac notarum romanarum ephemeridum, monemus lectores quod quando citamus *Acta Sedis* sine addito intendimus citare ephemerides romanas, cuius fundator fuit Petrus Avanzini, presbyter romanus, vir scientia atque pietate praeclarus, qui omnia sua impendit in fundatione Pont. Seminarii Ss. Apostolorum Petri et Pauli de Urbe, pro Missionibus ad exteros, atque adhuc aetate florescens, laboribus fractus, in osculo Domini quievit anno 1874.

[2]) Notitiam de tempore quo auctores mortui sunt vel floruerunt desumpsimus, in parte, ex opere cui titulus: *Nomenclator Literarius recentioris Theologiae catholicae, Theologos*

bus ad eas lucrandas requisitis, accurata notitia historica, polemica, critica; auctore D. Eusebio Amort, Canonico Regulari Lateranensi. Venetiis 1738, apud Ioannem Baptistam Recurti.

* **Beringer.** Les indulgences, leur nature et leur usage... par le R. P. J. Beringer S. I. Consulteur de la même Congrégation. Traduction par les PP. E. Abt et A. Feyerstein S. I.; cette édition française, aussi bien que l'original, a été approuvée et déclaré authentique par la S. Cong. des Indulgences. Paris, P. Lethielleux libraire éditeur, 10, Rue Cassette, 1890.

Bossius † 1665. Tractatus de triplici Iubilaei Privilegio et operum ad Iubilaeum consequendum implendorum executione.... Auctore R. P. D. Io. Angelo Bossio, Sacerdote Theologo ex Cler. Reg. Barnab. Cong. S. Pauli. Pisis, ex Typ. Tanagliana. MDCXXXV.

Decreta authentica Sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae ab anno 1862 edita. Romae ex Typographia Termarum Diocletianarum 1876.

De Lugo S. I. Cardinalis † 1660. R. P. Ioannis De Lugo Hispalensis e S. I..... S. R. E. Cardinalis.

exhibens qui inde a Concilio Tridentino floruerunt aetate, natione, disciplinis distinctos. Edidit et commentariis auxit H. Hurter S. I. Sac. Theologiae et Philos. Doctor, eiusdemque S. Theol. in C. R. Univ. Oenipont. Professor P. O., Oeniponti, Libraria Academica Wagneriana 1871.

Disputationes scholasticae et morales de Virtute et Sacramento Poenitentiae; item de Suffragiis, et Indulgentiis: opus omnibus maxime utile Confessariis perquam necessarium..... Lugduni, sumptibus Philippi Borde, Laur. Arnaud, Petri Borde et Guill. Barbier, MDCLXVI.

Gobat f. 1660. Quinarius tractatuum theologo-iuridicorum, quo continentur et ex principiis Theologiae Iurisque prudentiae disseruntur tractatus quinque..... III. Quadruplex Iubilaeum. IV. Thesaurus Ecclesiasticus Indulgentiarum. Auctore Georgio Gobat S. I. Teologo. Operum tomus secundus..... Constantiae, typ. Io. Iac. Straub, anno 1670.

* **Guerra.** Il Tesoro delle Sante Indulgenze esposto alle anime pie, pel Canonico Almerico Guerra. Roma, Tipografia Poliglotta della S. C. di Propaganda, 1883.

* **Instructio** de Stationibus S. Viae Crucis erigendis visitandisque, cui accedit appendix de Crucifixis Viae Crucis vulgo nuncupatis, in lucem edita auctoritate Rm̃i P. Bernardini a Portu Romatino, totius Ordinis Fratrum Minorum Ministri Generalis. Editio altera. Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam. Ex Typographia Collegii S. Bonaventurae MDCCCLXXXVIII.

Lainez Iacobi † 1565. Secundi Praepositi Generalis Soc. Iesu. Disputationes Tridentinae: ad Manuscriptorum fidem edidit et commentariis histo-

ricis auxit Hartmannus Grisar S. I. Hist. Eccl. in Universitate Oenipontana Prof. P. O. Disputationes variae ad Concilium Tridentinum spectantes, Commentarii morales et instructiones. Oeniponte, typis et sumptibus Feliciani Rauch, MDCCCLXXXVI (tom. secundus, de Indulgentiis quaestiones quinque.

Lavorius † 1630. De Indulgentiis Tractatus in duas partes divisus, in quo omnes quaestiones et difficultates huius materiae pertractantur et dilucide resolvuntur; Theologis universis et Confessoribus perutilis ac necessarius, cui adiunctus est Tractatus de Iubilaeo et Anno sancto; auctore Iulio Lavorio De Lavorino, Caputaquen. Dioec. Protonotario Apost... Romae, typis Francisci Corbelletti, MDCXXVII.

* **Maurel.** Le Chretien éclairé sur la nature et l'usage des Indulgences, par le P. A. Maurel de la Compagnie de Jésus. Dixième édition. J. B. Pelagaud imprimeur, libraire, 1863.

Medina f. 1570. Disputationum adversus nostrae tempestatis Haereticos ad Patres. S. Concilii Tridentini. Liber unus... P. Michaele Medina, Hispano, sacrae Theologiae Magistro, Ordinis Minorum Regularis Observantiae, Theologo Regio, auctore... Venetiis, ex Officina Stellae, Iordani Ziletti, anno 1564.

Minderer † 1784. De Indulgentiis in genere et in specie, necnon de Iubilaeo; tractatus per modum

conferentiarum casibus practicis illustrati, auctore A. R. P. F. Sebaldo Minderer, Ord. Fratr. Minorum S. P. Francisci strictioris observantiae Recollectorum. Venetiis, ex typographia Balleoniana, MDCCLXIV.

Navarrus (Azpilcueta) † 1587. Commentarius de Iubileo et Indulgentiis omnibus... olim anno Iubileo 1550 Conimbricae editus. Romae, apud Iosephum De Angelis, 1575.

Panici. Animadversiones in Constitutionem *Quaecumque* Clem. VIII et, praesertim, super Dubio an quaelibet pia Unio sub hac Constitutione comprehendatur; digestae ab Agapito Panici, S. Cong. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae Secretario. Romae, ex Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide, an. MDCCCLXXIX.

Pasqualigus † 1664. Theoria et praxis Magni Iubilaei atque etiam extraordinarii. In qua omnia quae ad utrumque pertinent atque alia plura, quae ad Indulgentias, absolutionem a reservatis, commutationem votorum concernunt, ex theologicis principiis atque sacris et civilibus legibus breviter et dilucide explicantur a Zacharia Pasqualigo, Veronensi Cler. Reg. S. Theol. Profess. cum suis indicibus. Romae, anno Iubilaei 1650. Ex Typographia Corbelletti.

Passerini † 1677. Fr. Petri Mariae Passerini de Sextula, Magistri ac Procuratoris Generalis Ordinis Praedicatorum et in Romana Sapientia

S. Theologiae Professoris Matutini, Tractatus de Indulgentiis: editio tertia, Venetiis MDCXCV, ex Typographia Hieronymi Albritii.

Prinzivalli. Resolutiones seu decreta authentica sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, ab anno 1668 ad annum 1861, accurate collecta ab Aloysio Prinzivalli... Romae, ex officina Societatis Aurelianae, anno MDCCCLXII.

— Appendix, seu altera collectio quam plurimorum summariorum indulgentiarum quae tam pro aliquibus Ordinibus Regularibus ac Sodalitatibus quam pro nonnullis Ecclesiis piisque locis a Sacra Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, authentica recognita sunt ac probata, ab anno 1668 ad annum 1861.

Sarra. Il Domma delle SS. Indulgenze dichiarato ai Fedeli dall'Ab. Domenico Sarra, Ch. Benef. Vaticano, Minutante della S. Congregazione delle Indulgenze e sacre Reliquie. Roma 1867, Tip. Perego Salvioni, Piazza di S. Ignazio n. 153.

* **Schneider.** Rescripta authentica Sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, nec non summaria Indulgentiarum, quae collegit et cum originalibus, in Archivio Sacrae Congregationis Indulgentiarum asservatis, contulit Iosephus Schneider Societatis Iesu sacerdos, Sacrae Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliq. Consultor. Ratisbonnae, Neo Eboraci et Cincinnatii, sumptibus, chartis et typis Fri-

derici Pustet, S. Sedis Apost. et S. Congreg. Indulg. et Reliq. Typographi, MDCCCLXXXV.

Theodorus a Sp. S. † 1764. Tractatus historico-theologicus de Iubilaeo praesertim Anni sancti, auctore Fr. Theodoro a Spiritu Sancto, Carmelita Excalceato, S. C. Rituum.... Indulgentiarum ac S. Reliq. Consultore. Romae anno iubilari MDCCL, ex typographia Barnabò et Lazzarini.

— Tractatus Dogmatico-Moralis de Indulgentiis, in duas partes distributus... auctore Fr. Theodoro a Spiritu Sancto, Ord. Carmelitarum Excalceat. S. Congreg. Indulg... et sacrar. Reliq. Consultore, necnon sacrae Congreg. Visitat. Apostol. Theologo. Romae MDCCXLIII, ex typographia Palladis.

Tractatus de Indulgentiis, ad usum alumnorum Seminarii Archiepiscopalis Mechliniensis. Mechliniae, H. Dessain, MDCCCLXC.

Ulrich. Trésor Spirituel ou Indulgences attachées aux scapulaires et autres objets de piété, recuillies et mises en ordre d'après des documents authentiques par le P. M. Ulrich, de la Congregation du Très-Saint Redempteur. Paris, librerie P. Lethielleux, rue Bonaparte 66, Casterman editeur.

Viva f. 1710. De Iubilaeo praesertim anni sancti ac de indulgentiis universim Enchiridion. Auctore P. Dominico Viva S. I. Sacrae Theol. Profess. in Collegio Neapolitano eiusdem Societatis... Patavii, ex typographia Seminarii MDCCIX, apud Ioannem Manfrè.

PARS PRIMA

PARS PRIMA

DE INDULGENTIIS IN GENERE

CAPUT I.

De conceptu Indulgentiae.

Indulgentia dicitur tam *pro vivis* quam *pro defunctis*, diverso tamen modo; quare distinctim de utriusque conceptu loquendum. Ac primo de ea quae est *pro vivis*, cui proprius competit nomen Indulgentiae ita ut quando sine addito usurpatur, intelligitur semper Indulgentia pro vivis.

Art. I.

DE CONCEPTU INDULGENTIAE PRO VIVIS.

Indulgentia est — remissio poenae temporalis debitae Deo pro peccatis quoad culpam remissis quam Ecclesia suis subditis concedit, extra sacramentum, per potestatem solvendi sibi divinitus factam, ex thesauro meritorum Christi et Sanctorum. (Fr. Theod. *Tract. de Indulgentiis*, p. I. c. I.; cfr. declarationem huius conceptus in Palmieri *App. de Indulg. ad tract. de Poenitentia, typis de Prop. Fide 1879*).

Dicitur *remissio* seu absolutio per modum sententiae, quae cum non detur per modum sententiae particularis, sed generalis, non requirit cognitionem causae, sicut etiam accidit in censuris latae sententiae. Sunt scilicet sententiae quae hypothetice feruntur, valiturae actu quando debitae adsint conditiones;

— *poenae,* indulgentia enim non est remissio culpae neque mortalis neque venialis. Non *mortalis* quae remitti nequit sine infusione gratiae sanctificantis; atqui Ecclesia conferre nequit gratiam ex opere operato nisi per actionem sacramentalem, cuiusmodi non est actio per quam ipsa indulgentiam concedit: non *venialis*, ad cuius remissionem requiritur detestatio sive formalis sive virtualis peccati (S. Th. 3. q. LXXXVII. a. 1. 0.), atqui posita detestatione Deus immediate ex se solo culpam remittit;

— *temporalis,* poena enim aeterna remittitur cum ipso peccato in infusione gratiae sanctificantis, quae ius dat ad vitam aeternam;

— *debitae Deo*, cum modo amplius non vigeat disciplina canonum poenitentialium, ut evidens est, poena de qua agitur non potest esse quam poena *debita Deo.* Ceterum etiam tunc cum vigebant canones poenitentiales indulgentiam non fuisse mere relaxationem poenae canonicae ita probat S. Thomas (*Suppl.* q. XXV. a. 1): " primo quia est expresse contra privilegium Petro datum, cui dictum est ut quod in terra remitteret, in coelo remitteretur. Unde remissio quae fit quantum ad forum Ecclesiae, valet etiam quantum ad forum Dei. Et praeterea huiusmodi indulgentias Ecclesia faciens magis damnificaret quam adiuvaret: quia remitteret ad graviores

poenas, scilicet purgatorii, absolvendo a poenitentiis iniunctis; „

— *pro peccatis quoad culpam remissis*, nam manente reatu culpae non potest tolli reatus poenae;

— *quam Ecclesia concedit extra Sacramentum,* aliqua enim remissio poenae temporalis habetur etiam in sacramento poenitentiae iuxta dispositiones poenitentis;

— *suis subditis*, cum, ut ait Alexander III. (cap. Quod autem consuluisti: *de Poenit. et remiss.*) " a non suo iudice nullus ligari valeat vel absolvi; „

— *per potestatem solvendi,* indulgentia enim est non solum remissio seu actus potestatis remittentis poenam, sed est etiam solutio, scilicet exhibitio Deo alicuius pretii seu satisfactionis loco illius satisfactionis quam deberet ille cui datur indulgentia. Quare potestas remittendi complectitur potestatem solvendi, scilicet potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiae;

— *ex thesauro meritorum Christi et Sanctorum.* Thesaurus hic constat 1° ac primario satisfactionibus Christi, quae licet formaliter una fuerint infiniti valoris, tamen ex parte effectus seu subiectorum quibus applicatur considerari potest ut multiplex: 2° satisfactionum B. Virginis Mariae, quae immunis fuit ab omni peccato; atque ceterorum Sanctorum pro ea parte satisfactionum quae ipsis necessariae non fuerunt ad redimendas poenas eisdem debitas.

Relate vero ad satisfactiones Sanctorum notandum est 1° quod adiunguntur satisfactionibus Christi, non quasi hae per se non sufficiant sed " quia aequum est ut passiones illae coram Deo inanes non sint, praesertim cum id sit tam gloriosum Christo,

a quo manat omne bonum Sanctorum. „ (Bellarminus *de Indulg.* lib. I. c. 4.): 2° relate vero ad modum quo concurrant in hac applicatione " satisfactiones Christi cum passionibus Sanctorum, idest an applicetur pars alia ex passionibus Sanctorum, an vero integra satisfactio accipiatur semper ex passionibus Christi et ad satisfactionis cumulum superaddantur passiones Sanctorum, non videtur curiose investigandum. Illud videtur certum, passiones Christi quae sunt infiniti pretii per indulgentias applicari finito modo et ideo aliquid revera superaddi, cum passiones Sanctorum illis adiunguntur. „ (Bellarminus l. c.) Alius modus explicandi hanc coniunctionem ita exponitur a Lehmkuhl (*Theol. mor.* p. II. tract. V. sect. IV. § 4. in nota). " Multi difficultatem in eo inveniunt, si quaeritur quo modo satisfactiones Sanctorum in indulgentiis concurrant et utrum semper cooperentur, an non. Equidem plane puto eas semper cooperari, atque mihi videor rem considerare posse hac ratione: Deus certo in omni remissione poenae temporalis quum moveatur meritis et satisfactionibus Christi, ad quaelibet opera Christi respicit. Quamquam enim singula opera infiniti sint meriti atque infinitae virtutis satisfactoriae, tamen reipsa Deus non tantum propter poenas infantiae Christi, sed etiam propter labores in vita publica exantlatos, propter cruciatus in cruce toleratos poenas peccatis hominum debitas relaxat. Verum Chistus non est solus in hac singulari persona, sed sibi corpus mysticum Sanctorum adiunxit. Quamprimum igitur Deus invenit superabundantes satisfactiones in corpore Christi mystico, haec etiam, eaque omnia quae extant respicit, quotiescumque

poenas temporales relaxat. Semper enim totum Christum, i. e. Christum cum mystico suo corpore respicit, sibique in toto Christo complacet: et sicut nulla est ratio cur in acceptatione vicaria satisfactionum Christi excludat umquam ullum opus Christi; ita nulla est ratio cur umquam excludat ullum opus superabundans Sanctorum, quod extat. „

Corollaria. Iuverit ex dato conceptu nonnulla consectaria deducere quae ad maiorem intelligentiam eiusdem inserviunt;

1° *effectum indulgentiae pro vivis esse infallibilem.* Indulgentia enim est " actus potestatis solvendi, ad quem solutio necessario sequitur quatenus solvente Ecclesia (clave non errante, ut aiebant veteres, h. e. dummodo debitae adsint conditiones) solvit infallibiliter Deus; „ (Palmieri, l. c. § III. XI.)

2° *indulgentiam efficacem esse ex opere operato*, ex posito nimirum exercitio potestatis solvendi;

3° quare *opera,* si quae iniunguntur, se *habere tantum ut conditiones* vel dispositiones ad removendum obicem;

4° cum tamen et ipsa opera habeant rationem satisfactionis, hinc fidelem praeter remissionem poenae ex opere operato posse etiam per *eadem obtinere remissionem ex opere operantis,* scilicet ex propria satisfactione.

Art. II.

DE CONCEPTU INDULGENTIAE PRO DEFUNCTIS.

Indulgentia pro defunctis definiri potest — Actus potestatis clavium, quo fideli aliquod pium opus praestanti facultas fit applicandi defunctis eam remis-

sionem poenae cuius valorem intuitu illius operis ex thesauro Ecclesiae subministrat Romanus Pontifex.

Doctores qui profundius huius conceptus declarationi student in varias abeunt sententias, praesertim circa modum explicandi quomodo thesaurus Ecclesiae defunctis applicetur. Si quis desiderat ampliorem hac de quaestione notitiam conferre potest Suarez in *3.p. S. Thom.* disp. LIII.; et Lugo *de Sacram. Poenit.* disp. XXVII. sect. v.

Ad scopum nostrum sufficit adnotasse communem esse Doctorum sententiam indulgentiam pro defunctis " non applicari nec prodesse per modum absolutionis iudiciariae, sed per modum oblatae solutionis, seu, ut communiter dicitur per modum suffragii „ seu auxilii. (Billuart, Tract. *de Cens., Irreg., Indulgentiis,* diss. III. a. VI).

Relate vero ad modum quo haec solutio fit, placet referre ea quae habet Palmieri (l. c. § IV. n. III.) " Actus R. P. has indulgentias dispensantis non est absolutio data defunctis, qui eius amplius iurisdictioni non subsunt, neque tamen est simplex *solutio* seu exhibitio pretii Deo; nam intercedere debet aliquis actus pius vivorum, et dispensatio harum indulgentiarum ex thesauro est ipse quoque actus potestatis clavium, quae solum erga fideles viventes, immediate saltem exercetur. Est ergo haec indulgentia solutio pro defunctis quidem, sed cum quodam exercitio auctoritatis erga viventes. In indulgentia pro vivis bonum opus pro quo ea confertur ponunt ii ipsi quibus ipsa datur; in indulgentia pro defunctis non hi sed alii iisdem iuncti vinculo caritatis ponunt illud opus. Qui sicut possunt auctoritate pro-

pria applicare tum aliis tum ipsis defunctis sua privata suffragia, ita auctoritate Ecclesiae possunt applicare defunctis indulgentias, h. e. remissionem poenae quam ipsi acquirunt. Acquiritur autem non quatenus ipsis formaliter remissio poenae quam ipsi debent concedatur; sic enim non esset amplius locus remissioni alterius, sed quatenus causam ponunt, propter quam facultas iis fit applicandi defunctis eam remissionem poenae cuius valorem aequivalenter ex thesauro subministrat Ecclesia. „ (Cfr. etiam Billuart, l. c. in fine).

Disputant etiam DD. relate ad *infallibilitatem effectus* indulgentiae pro defunctis, cum debitae positae sint conditiones. Ita Palmieri (l. c. n. II.) refert ea quae a fautoribus utriusque sententiae afferuntur. " Lugus censet infallibilem esse eius effectum non secus ac indulgentiae pro vivis. Ratio est 1° quia Leo X de utriusque indulgentiae effectu cum debitae extiterint conditiones, loquitur cum eadem certitudine: 2° quia et concessio huius indulgentiae actus est potestatis clavium, ut idcirco detur defunctis quoque indulgentia ex auctoritate apostolica, ut loquitur Leo X, oportet ergo ut haec concessio fundetur in promissione Christi, cui innititur certitudo exercitii potestatis clavium, quodcumque solveris, erit solutum: atqui promissio Christi est infallibilis. Alii e contrario, non negantes quod ait Lugus, advertunt tamen quod concessio indulgentiae pro defunctis debet sequi naturam propriam huius indulgentiae. Atqui proprium est huius indulgentiae quod transferatur ad defunctos per modum suffragii: sequitur ergo naturam suffragiorum quae alter exhibet pro altero.

Iam vero aiunt, certum non est quod Deus velit acceptare semper suffragia unius pro alio. Scilicet non solum certum est quod ad id non tenetur Deus ex iustitia, sed solum ad id movetur ex misericordia et benignitate, sed praeterea non certo constat promisisse Deum se semper huiusmodi satisfactiones pro alii oblatas acceptaturum.... Sensus profecto fidelium et praxis continuandi indefinito tempore suffragia pro certis defunctis dubitationem sane non minimum fovet. „

CAPUT II.

De Divisione.

Indulgentia dividitur:

1° ratione effectus *a*) in *plenariam* et *partialem*. *Plenaria* est ea quae integram poenam temporalem remittit. *Partialis* quae partem tantum poenae remittit, quare partiales determinantur, sic dicitur indulgentia 100 dierum, unius anni, quae expressio significat remitti tantum poenae temporalis quantum remissa fuisset per veterem poenitentiam canonicam 100 dierum; aliquando additur numero dierum vel annorum, totidem *quadragenae,* scilicet totidem ieiunia quadragesimalia; quae si sint in pane et aqua *carenae* appellantur: *b*) in *applicabilem animabus Purgatorii* vel *non,* seu in indulgentiam pro vivis et indulgentiam pro defunctis:

2° ratione modi in *personalem*, *realem* et *localem:* prout indulgentia conceditur immediate personis vel mediante aliqua *re* aut *loco* cui affixa est indul-

gentia. — Iterum indulgentia *realis* et *localis* distingui potest in *stricte realem* vel *localem*, et *late realem* vel *localem*. Est *stricte realis* vel *localis* quando ita adnexa est alicui obiecto ut omnino praescindatur a possessore eiusdem; sic indulgentia Statuae S. Petri in Basilica Vaticana. Late *realis* vel *localis* (seu mixta) quando adnexa est alicui obiecto vel loco, tamen cum respectu ad possessorem eiusdem, ita ut indulgentia cesset, statim ac transferatur possessio rei:

3° ratione subiecti in *generalem* et *particularem*, prout conceditur omnibus fidelibus vel determinatis personis aut personarum coetibus:

4° ratione temporis in *perpetuam* et *temporariam*, prout indulgentia conceditur indefinite absque limitatione temporis vel cum limitatione temporis.

Ad huius capitis complementum operae pretium ducimus declarare quid sit plenaria indulgentia cum additamentis 1° *toties quoties*, 2° *quotidiana perpetua* et 3° *de poenitentiis iniunctis*, quae passim legitur in literis Apostolicis in forma Brevis exaratis. Relate ad 1^um^ quum certum sit generatim plenariam indulgentiam ex eodem titulo non nisi *semel in die* acquiri posse, hinc plenaria indulgentia *toties quoties* locum habet, quum ex speciali concessione datum est fidelibus eam acquiri eadem die tot vicibus quot ab eisdem repetuntur pia iniuncta opera quae possunt ac repeti solent: relate ad 2^um^ plenaria indulgentia *quotidiana*, quae ut plurimum visitantibus aliquam Ecclesiam conceditur, illa intelligitur, quae, licet quolibet anni die arbitrio cuiusque eligendo, tamen non nisi semel tantum in anno acquiri potest, nisi clare et explicite dicatur in concessione eam

acquiri quotidie. (D. 356. 15 Martii 1852): quoad vero 3^um^ placet referre quae habet Palmieri (l. c. § v. n. v.) " Quaeritur quid sibi volunt Pontifices cum indulgentiam concedunt *de poenitentiis iniunctis*. Haec formula in usu fuit cum adhuc poenitentiae a confessariis iniungerentur secundum canones, sensusque erat quod remittebatur debitum poenae respondens tot annis, diebus de poenitentiis iniunctis a confessario, et sic auferebatur obligatio eam partem poenitentiae iniunctae peragendae: quod enim tu assecutus es eam agendo, iam gratis Pontifex tibi concedebat. Cum vero adhibeatur haec formula concedendi plures dies, quadragenas aut annos de poenitentiis iniunctis, etiam nunc quando non amplius solent confessarii graves poenitentias secundum veteres canones imponere, probabile satis est quod hac aetate fuerit ampliata significatio eorum verborum de *poenitentiis iniunctis*, ut perinde sit ac de *poenitentiis iniungendis*, si canones adhuc vigerent, vel simplicius, de poenitentiis iniunctis a canonibus, quas nempe canones olim praescribebant. (Cfr. Lugum diss. XXVII. sect. 2. *de Sacram. Poenit.*) „

CAPUT III.

De Concedente seu faciente Indulgentias.

Supponimus ex Dogmaticis in Ecclesia potestatem esse concedendi indulgentias, quod quidem de fide est, uti de fide est indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem esse. (Conc. Trid. sess. XXV. Decr. de Indulg.) Inquirendum nunc est,

quinam in Ecclesia hac potestate polleant; sed antea perutile erit nonnulla de natura huius potestatis dicere. Quare caput hoc in duos articulos distribuimus, in quorum primo de *Natura* potestatis, in altero de eiusdem *Subiecto* loquemur.

Art. I.

DE NATURA POTESTATIS FACIENDI INDULGENTIAS.

Natura huius potestatis definiri potest per sequentem propositionem quam per partes declarabimus.

Potestas concedendi indulgentias est: — Potestas iurisdictionis, cuius exercitium respicit forum internum et supponit potestatem administrandi thesaurum Ecclesiae, requirens ad validitatem sui exercitii causam rationabilem.

Dicitur *potestas iurisdictionis*, sane in Ecclesia duplex est potestas, ordinis et iurisdictionis: atqui potestas concedendi indulgentias non est potestas ordinis; haec enim est potestas quae ordinatur ad efficienda sacramenta; ergo est iurisdictionis. Unde sequitur 1° quod ad conferendas indulgentias necessarius non sit caracter episcopalis. Quare Episcopus electus et confirmatus, licet nondum consecratus, indulgentias conferre potest; 2° ut si quis concedat indulgentiam in statu peccati mortalis non peccat;

— *cuius exercitium respicit forum internum.* Omnes DD. conveniunt et convenire debent indulgentiam esse remissionem quae datur in foro Dei, seu in foro interno. Contraria propositio damnata fuit a Leone X contra Lutherum, et a Pio VI in Const, *Auctorem fidei*, contra pseudosynodum Pistoriensem.

Quare quando quidam DD. dicunt simpliciter indulgentiam dari *in foro externo*, intelligendi sunt de natura iurisdictionis, ad quam pertinet potestas dandi indulgentias; scilicet, distinguendo iurisdictionem in eam quae est fori interni et in eam quae est fori externi, volunt asserere hanc potestatem pertinere ad eos qui iurisdictionem habent fori externi, licet exercitium respiciat forum internum, sicut v. gr. accidit in dispensationibus ab impedimentis matrimonii quae dantur aliquando pro solo foro interno;

— *et supponit potestatem administrandi thesaurum Ecclesiae.* Indulgentia enim est non solum absolutio sed et solutio seu exhibitio Deo satisfactionis quae continetur in thesauro Ecclesiae; cuius ergo dispensatio seu administratio concredita est Ecclesiae;

— *atque ad validitatem exercitii requirit causam rationabilem.* Necessitas causae rationabilis probatur non solum ex documentis Pontificiis, sed ex ipsa natura rei. Sane necesse est, esse rationem aliquam cur poena Deo debita remittatur ab Ecclesia quae nequit sine causa thesaurum, cuius tantum habet administrationem, distribuere; aut ius, quod Deus habet ad poenam ab hominibus exigendam, dissolvere. Ratio autem debet esse eiusmodi, ut veluti Deo compenset id quod Ipsi detrahitur per condonationem debitae Ipsi satisfactionis.

" Iusta autem causa aliquando repetitur ex ipsis operibus praescriptis, ut si Pontifex cuilibet hanc vel illam orationem fundenti .... indulgentias concedit; videlicet mens concedentis est eiusmodi pietatis exercitia fidelibus ex sese valde utilia proposito proemio promovere. Et revera, si crescit sanctitas et per-

fectio interna fidelium, prudenter propter hoc ipsum poenae temporalis quaedam relaxatio conceditur. Aliquando causa petitur extrinsecus, maxime ex publica Ecclesiae utilitate, splendore promovendo, calamitate avertenda .... sic etiam peti potest ex liberali quadam gratitudine aut remunerandi studio erga aliquem, qui ad bonum Ecclesiae laboravit.... Hinc patet ex eo quod pro operibus admodum levibus aliquando indulgentiae quam maximae et multae proponantur, inferri minime posse, causam deesse sufficientem. „ (Lehmkuhl *Theologia mor.* II. n. 535.)

In praxi tamen fideles omne dubium propulsare possunt et debent, eo quod, prout notat Charmes (*de Indulg.* diss. v. App. c. III.) " In facto principis, semper praesumitur causa, nisi error in contrarium sit manifestus: ita censet Toletus lib. VI. c. 28. n. 6. „

Quaestio fit a DD. an necesse sit ut opus aliquod praescribatur ad acquisitionem indulgentiae.

Conveniunt DD. non requiri saltem pro indulgentiis pro vivis. Quod probatur 1° ex facto; aliquando enim Rom. Pontif. concedit indulgentiam in articulo mortis sensibus destituto; 2° ex ipsa natura rei. Si enim necessarium esset opus, hoc esset vel ex parte concedentis, vel ex parte causae, vel ex parte suscipientis. Atqui non ex parte concedentis, nam potestas concessa est Ecclesiae tantummodo sub conditione, ut adsit causa, nec ligata est alicui actioni, ut in sacramentis; non ex parte causae, potest enim iusta causa intervenire, citra opus pium; neque ex parte suscipientis, qui ut possit lucrare indulgentias, requiritur solum ut sit dispositus, scilicet expers saltem culpae mortalis. (Fr. Th. p. I. c. X. a. I.)

Dixi saltem *pro vivis:* disputant enim DD. quoad indulgentiam pro defunctis. Fr. Theod. (p. I. c. XIV. a. VI.) tenet posse concedi indulgentiam " citra viventis opus. „ E contra alii tenent " certum esse Rom. Pont. non posse immediate absque pio opere vivorum dare indulgentias defunctis, hoc enim est inauditum in Ecclesia, ait Lugus (*de Poen.* diss. XXVII. sect. 2. n. 62.) Numquam enim Pontifices concesserunt aliquam indulgentiam defunctis nisi concedendo vivis. „ (Palmieri, l. c. § IV.)

Art. II.

DE SUBIECTO POTESTATIS.

Subiectum potestatis est ille in quo residet potestas: de hoc vero loquemur primum spectato *iure divino,* deinde *iure ecclesiastico.*

§ 1. *De subiecto iuxta ius divinum.*

S. Thomas ita breviter definit quodnam sit subiectum spectato iure divino. (*Suppl.* qu. XXVI. a. III. in 0.) " Papa habet plenitudinem Pontificalis potestatis, quasi rex in regno; sed Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi iudices singulis civitatibus propositi. . . . Et ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in Papa, quia potest facere prout vult, causa tamen existente legitima; sed in Episcopis est taxata secundum ordinationem Papae, et ideo possunt facere secundum quod est eis taxatum et non amplius. „

Quomodo autem potestas faciendi indulgentias plene resideat in Summo Pontifice clarius declaratur ab ipso S. Thoma (*Quodlib.* 2. qu. 8. a. 16. 0.)

" Totus theasurus meritorum Christi et Sanctorum est in *dispensatione eius qui praeest generali Ecclesiae:* unde Petro Dominus claves regni coelorum commisit. (Matth. 16.) Quando ergo utilitas vel necessitas ipsius Ecclesiae exposcit, potest ille qui praeest Ecclesiae, de ista infinitate thesauri communicare alicui, qui per caritatem fit membrum Ecclesiae, de praedicto thesauro, in quantum sibi visum fuerit opportunum, ad totalem remissionem poenarum vel usque ad aliquam certam quantitatem; ita scilicet quod Passio Christi et aliorum Sanctorum ei imputetur, ac si ipse passus esset quantum sufficeret ad remissionem sui peccati; sicut contingit cum unus pro alio satisfacit. „

Quaestio fit a DD. an potestas, quam habent Episcopi dandi seu faciendi indulgentias sit ex iure divino vel ecclesiastico.

Respondent communiter esse ex iure ecclesiastico et nonnisi ex iure divino mediato. Quod ita declarat Billuart (Tract. *de Cens. Irr. et Indulg.* Diss. III. a. III.) " Licet Christus instituerit munus episcopale, non tamen per se ipsum confert singulis Episcopis iurisdictionem, sed mediante Summo Pontifice; quia tamen eorum status et officium episcopale exigit ut huiusmodi potestas ipsis a Papa communicetur, non sunt in hoc simpliciter delegati, sed ordinarii, quia vi status et officii habent hanc potestatem a Papa, et hoc sensu dicuntur ab aliquibus habere illam iure divino sc. mediato. „ Cum autem agatur de potestate

non absolute debita, aut necessaria, licet valde convenienti (Layman, *de Indulg.* c. IV. n. II.); mirum non est si RR. PP. ratione habita boni communis, potestatem hanc successu temporis in episcopis limitaverint magis quam anteactis temporibus.

§ 2. *De subiecto iuxta ius ecclesiasticum.*

DE ROMANO PONTIFICE.

Cum R. P. sit supra ius, de eo quaeri tantum potest, quamnam praxim servet in exercenda potestate circa indulgentias.

Iam vero potestas indulgentiarum considerari potest non solum relate ad earumdem *concessionem*, sed etiam relate ad *vigilantiam*, qua superiores ecclesiastici invigilare tenentur, ne abusus circa hanc materiam inter fideles obrepant.

Quoad *concessionem:*

Romanus Pontifex indulgentias concedere solet:

1° Vel *vivae vocis oraculo*, vel *scripto*, per organum alicuius Congregationis aut Secretariae, et quidem sive Bulla, sive literis in forma Brevis, sive Decreto, sive Rescripto.

2° *Absolute* vel *conditionate*. Exemplum concessionis conditionatae habetur in concessionibus generalibus, pro quibus statutum est Decreto S. I. C. 23 Ian. 1756 (205) " impetrantes generales concessiones teneri *sub nullitatis poena* gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad Secretariam eiusdem S. C. deferre. „

3° Vel *immediate* vel *per communicationem.*

" Communicatio et communicare a ly communis

derivatum, id est esse, ac commune facere et conferre alicui, quod prius alteri iam fuerat concessum. „ (Reiffenstuel, *Ius Canonicum universum,* lib. v. Decr. tit. xxxiii. § iii.)

" Duobus autem modis fieri potest indulgentiarum communicatio: 1° per *extensionem*, qua eae gratiae spirituales non quidem primario, sed secundario aliquibus conceduntur, ut cum datae Regularibus ad eorum Oblatos, Procuratores et Famulos extendantur: 2° non per extensionem sed per *novam concessionem,* quum uni prius attributae, ita fiunt propriae aliorum, ac si eisdem primario fuissent concessae. „ (Fr. Theod. p. i. c. xii. a. i.)

Iterum communicatio per novam concessionem fieri potest vel per *verba generalia*, eas in particulari non specificando, v. gr. communicamus omnes indulgentias quibus Ecclesia N. decoratur; vel per *verba expressa,* easque in particulari specificando, v. gr. concedimus Ecclesiae N. indulgentias feriarum sextarum mensis Martii ad instar Basilicae S. Petri.

Iamvero pro diverso modo quo indulgentiae communicantur, diversi sunt effectus: sic indulgentiae communicatae per extensionem omnino dependent a prima concessione, in hoc enim casu potiusquam communicatio indulgentiarum videtur haberi extensionem subiecti favore cuius indulgentiae concessae sunt; e contra indulgentiae concessae per novam communicationem remanent, etsi cessent indulgentiae primae concessionis. Aliqua etiam differentia est inter indulgentias concessas per verba generalia vel per verba specificantia; hae enim subsistunt etsi

tunc cum conceduntur iam cessaverint indulgentiae primae concessionis, quod non accidit in prima hypothesi.

Quaestio fit a DD. " An sub communicatione Privilegiorum, Indultorum, Immunitatum et Gratiarum intelligitur communicatio Indulgentiarum. „

Fr. Th. (p. I. c. XII. a. II.) huic quaestioni, quam proposuimus ipsius verbis, respondet negative; quod praecipue probat ex stylo Curiae.

Quoad *vigilantiam:*

Romanus Pontifex hanc exercere solet praesertim per Sacram Indulgentiarum Congregationem, quam Clemens IX per Const. *In ipsis Pontificatus Nostri,* die 6 Iulii 1669 erexit " cum facultate omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum Reliquiis aut Indulgentiis emergentem, quae ad fidei dogma non pertinent (Nobis tamen et Romano Pontifice pro tempore existente circa graviora difficilioraque consultis) expediendi, ac si qui abusus in eis irrepserint, illos iudicii forma plane postposita corrigendi et emendandi; falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, ac ubi Nobis seu Romano Pontifici pro tempore existenti retulerit, Nostra seu illius auctoritate reiiciendi; . . . ac in concedendis indulgentiis . . . . moderationem adhiberi, omniaque pie, sancte et incorrupte fieri curandi. „

Cum vero una ex praecipuis abusuum causis sit quaestus, hic memoranda venit censura excommunicationis latae sententiae contra omnes quaestum ex indulgentiis facientes, quae a Pio V, in Const. *Quam plenum,* 2 Ian. 1569, lata, adhuc perdurat, et inveni-

tur in Const. *Apostolicae Sedis*, inter excomm. ordinario modo R. P. reservatas n. 11.

Quaestio fit a DD. an Pontifex possit sibimet indulgentias concedere.

Ratio dubitandi oritur ex eo quod indulgentia sit actus iurisdictionis, et nemo videtur erga se ipsum iurisdictionem posse exercere. — Conveniunt DD. quod possit Pontifex indulgentiam lucrari, cum non sit deterioris conditionis, quam reliquae oves Chisti Domini; at differunt quoad modum explicandi. Sunt DD. qui putant ipsum Deum conferre iurisdictionem supra Pontificem; at necesse non est ad hoc recurrere: sunt enim alii explicandi modi, quos ita refert Viva (*de Iubilaeo... ac de Indulg. universim Enchirid.* q. v. art. iv.) " Suarius Disp. 52. *de Poen.* sect. i. cum Bossio et Caietano apud Pasqualigum q. 19. putat posse eas lucrari delegando alii iurisdictionem et subiiciendo se illi.... Bellarminus cap. 6. *de Indulgentiis*, Laym. Fill. Cord. putant Papam concedendo directe indulgentias aliis per modum absolutionis, concedere eas indirecte sibi per modum solutionis ut pars communitatis est; eo modo quo leges ferendo, obligat alios directe, se ipsum indirecte. Sed neque haec explicatio admittenda, tum quia eadem forma semper utitur Pontifex concedendo Iubilaeum tam sibi quam aliis, dicendo absolutionem et remissionem concedere,... tum etiam quia in tantum potest se ipsum indirecte obligare per leges a se latas, quia ius naturale hoc dictat, debere caput membris se conformare; at ius naturale non se extendit ad concedendas ullo pacto indulgentias.... Quare potius dicendum cum Pasq. Pontificem posse sibi ipsi directe indulgentias concedere,

exercendo erga se ipsum iurisdictionem istam gratiosam.... Actus iurisdictionis contentiosae, quae testium probationem requirit, stare nequit universim sine distinctione personarum.... idemque dicas de actu iurisdictionis coactivae sive punitivae, hanc enim in se ipsum exercere repugnat: idque verum est etiam de absolutione sacramentali ex institutione Christi Domini; at iurisdictio voluntaria, sicut exerceri potest a Pontifice erga se ipsum in dispensatione votorum, ita etiam in concessione indulgentiarum. „

DE INFERIORIBUS PAPA.

1. DE INFERIORIBUS PAPA IN COMMUNI.

Ad evitandas inutiles repetitiones, antequam de Inferioribus Papa in particulari loquamur, hic referendae sunt nonnullae *prohibitiones*, quae omnes respiciunt, sicut et solvendae veniunt quaedam *quaestiones*, quae eosdem attingunt.

Interdicitur itaque:

1° Indulgentias concedere defunctis applicabiles: " communis est DD. sententia „ (Suarez l. c. disp. LV. sect. III. 9.)

2° Crucibus etc. a Papa vel Sacerdote legitima facultate munito benedictis, sicuti etiam eidem actui pietatis sive eidem pio Sodalitio, quibus a R. P. indulgentiae iam adnexae vel concessae sunt, alias indulgentias adiungere vel concedere, nisi novae conditiones implendae imponantur (D. 433. 12 Ian. 1878):

3° Eumdem pietatis actum in partes dividere, et singulis partibus, puta 40 dies indulgentiarum concedere (D. 433. v. s.) Licet Decretum loquatur tan-

tum de Episcopo, tamen extendendum videtur ad omnes, qui potestatem habent indulgentias concedendi, agitur enim de modo applicandi indulgentias, qui minus conveniens videtur, quique proinde in praxim a nemine deducendus videtur:

4° Novas indulgentias applicare eidem rei vel actui pietatis, cui iam Antecessor indulgentias adnexuit (D. 433. v. 1.) Cum etiam hoc Decretum loquatur de Episcopo, quaeri potest an sit etiam prohibitus Delegato Apostolico vel Archiepiscopo huiusmodi concursus cum Episcopis territorii delegationis vel provinciae. Quoad Delegatum, in hoc ipso Decreto (ad. 6.) resolutum fuit: " Consultius ut se abstineat. „ Iam vero idem a fortiori dicendum est de Archiepiscopo.

Tandem tum ab iis qui ordinariam, tum ab illis qui delegatam habent potestatem, observandae sunt normae, quas ipse R. P. sequitur in concedendis indulgentiis plenariis et in concedendis indulgentiis realibus et localibus. De normis pro indulgentiis realibus et localibus loquemur in 2ª parte; quoad indulgentias plenarias generatim praescribi solet, praeter aliquid aliud pium opus, Confessio et Communio.

Quaestio fit a DD. I. an qui habet potestatem ordinariam concedendi indulgentias, possit eam delegare.

Communiter affirmant; tamen *minus conveniens* videtur posse Inferiores Papa hac facultate uti; non solum ob periculum abusus, qui facile in hac materia introduci potest, sed etiam quia agitur de potestate quae videtur adnexa dignitati. Sic Benedictus XIV (*de Synodo*, lib. II. c. IX. n. VIII.) quaerens

an Vicarius Capitularis habeat hanc potestatem, de eadem ait quod " etsi sit iurisdictionis et non ordinis, tamen iurisdictionis cuiusdam extraordinariae soli dignitati episcopali adnexae „. Quare minus conveniens videtur de ea participem reddere subditum, eo vel magis quod in omnibus Inferioribus Papa tam sit limitata. Ceterum non possent delegari nisi clerici, cum hi solum iurisdictionis ecclesiasticae sint capaces.

II. An qui habet potestatem a Papa delegatam possit eam subdelegare.

In genere qui habet potestatem delegandi, non potest subdelegare. Excipiunt tamen DD. 1° nisi *Delegatus* sit ad *universitatem causarum*, nam " Delegatus ad universitatem causarum quasi Ordinarius videtur „ (Reiffenstuel, lib. I. *Decret.* tit. XXIX, § III. n. 63); 2° et nisi *Delegatus* sit Principis, " ut puta *Papae....* propter eminentiam supremae potestatis Principis, cuius personam ille repraesentat ex speciali dispositione ab ipsomet Iure concessum fuit, ut in casu legitimi impedimenti, quominus causam per seipsum expedire valeat, possit hanc alteri subdelegare, vices suas committere eidem, ut l. a Iudice c. *de Iudiciis* etc.... „ (Reiffenstuel, l. c. n. 59.) At Canonistae limitant hoc principium ita ut applicari non possit 1° quando electa fuerit industria personae sive explicite ex ipsis verbis mandati, sive implicite ex gravitate negotii pertractandi; 2° quando commissum fuerit nudum ministerium. (Cfr. Card. d'Annibale *Summula Theologica*, edit. III. p. I. tr. I. c. III. n. 72 in nota; *Collectanea in usum Secretariae S. Cong. EE. et RR. cura* A. Bizzarri, *Romae* MDCCCLXIII. pag. 666;

Thomae de Rosa, *Tractatus de Executoribus Litterarum Apostolicarum etc. Venetiis* MDCCXXXVI. p. II. per totum cap. V.; Ferraris v. *Delegatus* n. 53.) His praemissis non videtur posse delegare eum qui potestatem habuerit a Papa delegatam; neque huius favore posset appellari ad principium (Quod delegatus a Papa potest subdelegare): nam hoc principium non videtur respicere forum internum, ac proinde non potest applicari generatim facultatibus quae dantur pro foro interno, licet in quibusdam, ut v. gr. in facultate absolvendi a casibus reservatis, delegata fuerit iurisdictio et quidem non exercenda per nudum ministerium. Ceterum cum facultas dandi indulgentias respiciat forum internum, et exerceatur absque ulla causae cognitione (cfr. supra cap. I. pag. 2.) non potest subdelegari a Delegato Papae, nisi expressa facultas subdelegandi ei concessa fuerit.

2. DE INFERIORIBUS PAPA IN PARTICULARI

Ut ordine aliquo procedamus, omnes inferiores Papa in *duas* classes distribuemus, in quarum *prima* loquemur de illis qui potestatem habent ordinariam, iuxta sensum tit. XXXI de officio Iudicis Ordinarii in libro 1. *Decretalium,* et in secunda de illis qui habent potestatem sive vicariam sive delegatam, de quibus loquuntur Decretales lib. 1. tit. XXVIII. XXIX. XXX.

1. De iis qui habent potestatem ordinariam.

De Episcopis.

Cum plures in aliis hierarchiae iurisdictionis gradibus episcopali officio fungantur, initium ducimus ab Episcopis, quae enim de his dicemus ad illos etiam erunt applicanda. Hic autem, ut patet, loquimur solum de Episcopis *residentialibus*; qui enim *titulares* sunt ordinariam non habent iurisdictionem, sed solum delegatam, si eisdem commissa fuerit. Idem valet pro Patriarchis, Primatibus et Archiepiscopis titularibus.

Potestas Episcoporum considerari potest vel relate ad *concessiones* indulgentiarum, vel relate ad *vigilantiam*, qua tenentur ne abusus in dioecesi introducantur.

Quoad *concessionem*;

ex cap. *Cum ex eo* 14. *de Poenit. et Remiss. in fin.* Episcopi facultatem habent concedendi indulgentiam unius anni in dedicatione Ecclesiae, sive ab uno sive a pluribus Episcopis dedicetur, et quadraginta dierum pro anniversario dedicationis tempore, aliisque casibus; quas indulgentias concedere etiam possunt in perpetuum duraturas.

Quoad *vigilantiam;*

inter episcopalia officia est etiam illud *invigilandi* ne *abusus* quoad indulgentiarum materiam obrepant. Quare Conc. Trid. sess. 25. Decr. *de Indulg.* eisdem mandat " ut diligenter quisque... abusus Ecclesiae suae colligat, eosque in prima Synodo Provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sen-

tentia cognita, statim ad Summum Pontificem deferantur. „ “ Cum vero Provincialium Conciliorum convocatio per haec tempora neque frequens neque satis expedita esse dignoscitur, suadet Benedictus XIV *de Synodo* lib. 13. c. XVIII. ut Episcopi in relationibus status suarum Ecclesiarum (de his abusibus) fideliter referant, simulque opportunum ipsis ab Apostolica Sede remedium implorent. „

Iamvero ut Episcopi facilius huic officio *invigilandi* satisfaciant, plures *facultates* ab ipso iure iisdem concessae sunt praesertim quoad *publicationem indulgentiarum, editionem librorum* de indulgentiis pertractantium, *versiones, indulta*, de quibus distinctim.

De *publicatione* indulgentiarum:

Publicare indulgentias est authenticam notitiam earumdem fidelibus communicare. Iamvero Conc. Trid. sess. XXI. c. IX. R. decernit: “ Indulgentias... deinceps... per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo publicandas esse. „

Cum publicatio sit species quaedam *promulgationis,* non est necessarium ut ab Episcopis publicentur quae iam Romae legitimo modo *promulgatae* sunt, ut accidit v. gr. de indulgentiis quae continentur in Bullis. Quin imo, quando Summus Pontifex indulgentiam quamlibet concedit *Urbi* et *Orbi*, ut fideles talem indulgentiam in variis dioecesibus lucrari possint, non requiritur ut haec indulgentia ab Ordinariis locorum promulgetur, sed sufficit, e contra, ut certi sint, praedictam indulgentiam a Summo Pontifice fuisse concessam. (*Collectanea ad usum societatis Missionis ad exteros.* Parisiis 1880, n. 529.)

Publicatio itaque respicit praesertim eas indulgentias, quae concedantur *favore* alicuius *Ecclesiae*, vel *coetus personarum;* et licet, quamdiu eas non permisit Episcopus publicari, retineant suum valorem, tamen expectanda erit publicatio Ordinarii postquam illas recognoverit, ut sciant fideles, an sint indulgentiae plenariae vel partiales, et quae sint conditiones assignatae ad illas acquirendas. (Cfr. *Collectanea ad usum Societatis Missionis ad exteros.* Parisiis 1880, n. 531.)

Haec autem lex quoad indulgentiarum publicationem ligat omnes, ita ut nemo " sine Episcoporum licentia vel auctoritate potest illa Brevia (indulgentiarum, quae *de novo* per Papam conceduntur) seu illas indulgentias publicare, non obstante quacumque exemptione et praetensa consuetudine in contrarium, etiamsi pro Regularium Ecclesiis concedantur. „ (Ferraris v. *Indulg.* a. iv. n. 31; Fr. Th. *Diss. proem.* § 5.)

Ut vero tutius Ordinarius procedat in examine authenticitatis indulgentiae publicandae, decernit Concilium Tridentinum ut id exequetur adhibitis duobus de capitulo.

Cui quidem Conc. Trid. dispositioni adhaerentes PP. Concilii Prov. Viennensis anno 1858 habiti (*Collectio Lacensis*, tom. iv.) decreverunt: " Indulgentiis cognoscendis, secundum Patrum Tridentinorum decreta, duo de capitulo praeficiantur. Nullae in posterum indulgentiae in Ecclesiis sive saecularium sive regularium publicentur, quin earum litterae a praedictis canonicis subscriptae et ab antistite per se ipsum vel suum vicarium generalem approbatae fuerint. „

De *editione librorum* de indulgentiis pertractantium.

In Decretis de libris prohibitis quae post regulas Indicis addita sunt, haec leguntur § III. n. 12. " Indulgentiarum libri omnes, diaria, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non edantur absque licentia S. C. Indulgent. „ qui articulus ex Decreto S. I. C. (D. 383. die 22 Ianuarii) " ita est intelligendus et in praxim deducendus, ut si agatur de edenda concessione alicuius indulgentiae vel summarii indulgentiarum, quod ex Brevi Apostolico vel Rescripto desumendum est, aut de summario ex auctoritate S. Congregationis iam vulgato, in potestate Ordinarii sit licentiam concedere earumdem indulgentiarum concessiones typis imprimendi (dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio): e contra vero si sermo sit de summario vel antea collecto, sed nunquam approbato, vel nunc primum ex diversis collectionibus colligendo, requiritur expressa S. Congregationis licentia... " Excipitur elenchus indulgentiarum et privilegiorum etiam typis impressus, communicandus ab archiconfraternitatibus in aggregationibus, ab Ordinarii tamen loci recognitus, " cuius impressio in hunc tantum finem permittitur, etiamsi indulgentiarum concessiones sint depromptae ex pluribus Brevibus etc., non obstante.... „ (D. 388. 8 Ian. 1861).

Specialis et expressa prohibitio, de qua in parenthesi, habetur:

1° pro *Raccolta*, quocumque idiomate (D. 361. 30 Sept. 1852):

2° pro *Elencho Indulgentiarum Apostolicarum*,

pariter quocumque idiomate. (*Summarium Indulgentiarum* in *Rescripta authentica* p. II. pag. 345; cfr. Beringer, *Les Indulgences etc.* p. XIX.)

De *versionibus.*

Prae oculis habendum est Decretum (D. 415. 29 Decemb. 1864) in quo declaratur: " Indulgentias adnexas precibus valere quocumque idiomate recitentur, dummodo versiones sint fideles.... ut constet de fidelitate versionis sufficit declaratio.... vel unius ex Ordinariis loci, ubi vulgaris est lingua, in quam vertitur oratio, cuius recitationi primitus indulgentia concessa fuit. „

De Indultis.

Indulta vario modo expediri solent in diversis Romanis Congregationibus. Bizzari in sua *Collectanea* (pag. 366) refert praxim Congregationis EE. et RR. Pro re nostra sufficit adnotasse, Indulta concedi posse vel in *forma gratiosa* vel in *forma commissaria*, prout gratia directe conceditur sine ulla commissione pro executione vel cum commissione; iterum quae conceduntur in forma gratiosa vel conceduntur *absolute* vel *conditionate*, ut puta cum clausula *de consensu Episcopi*. Iamvero quoad Indulta in forma gratiosa et absolute concessa, nulla est generatim episcoporum potestas: e contra pro aliis.

De S. R. E. Cardinalibus.

S. R. E. Cardinales concedere possunt indulgentias 100 dierum in suis titulis, et generatim in omnibus locis in quibus habent iurisdictionem episcopalem vel quasi episcopalem, pro quibus eadem

fruuntur potestate *vigilantiae*, quam vidimus pro episcopis.

Cum nullibi in iure sermo fiat de potestate Cardinalium 100 dierum indulgentias conferendi, quaerunt DD. quomodo id obtinuerint. At quoniam agitur de personis, quae considerantur ut adhaerentes *lateri* Pontificis, nil facilius est excogitare quam id obtinuisse *ex vivae vocis oraculo*.

Praeterea in Bulla *Pastor bonus*, idibus Apr. 1744 habetur: " Omnibus... Christifidelibus qui ex veteri et laudabili instituto Poenitentiarium Maiorem, munere suo statutis diebus Hebdomadae Maioris in tribus Basilicis solemni ritu fungentem, pie reverenterque adierint, seseque poenitentiali virgae submiserint [1]), centum dies de iniunctis eis sive alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta, relaxandi perpetuam facultatem iidem Maiori Poenitentiario confirmamus, et quatenus opus sit de novo concedimus. „ Craisson (*Manuale totius Iuris Canonici*, edit. III. Pictavii 1872 tom. III. 4550, 6°) addit quod " potest Magnus Poenitentiarius etiam per Delegatos concedere (supradictam indulgentiam).... Vide Ferraris nn. 23. 24. „ At neque in Bulla Benedicti XIV neque in Ferraris aliquid habetur de hac facultate delegandi.

[1]) Etiam illi qui sese submittunt virgae Poenitentiariorum Minorum Apostolicorum lucrantur ex concessione Benedicti XIV 20 dierum indulgentiam, sed placet referre ea quae de hac *virga* habet *Manuale Facultatum Minorum Poenitentiariorum Apostolicorum ex Poenitentiariis Minoribus ad S. Ioannem in Laterano Ord. FF. Minorum Reformatorum*

De Patriarchis et Primatibus.

Patriarchae et Primates qua *tales* ex iure communi nullam potestatem habent (Fr, Theod. p. I. c. III. a. VII.); qua vero *Episcopi* et *Archiepiscopi* possunt in suis dioecesibus et provinciis omne id quod possunt Episcopi et Archiepiscopi.

De Archiepiscopis.

Qua *Episcopi* cfr. supra. Qua *Archiepiscopi* ex cap. *Nostro* 15. *de Poen. et Remiss.* possunt in *tota* provincia concedere easdem indulgentias quas in propria dioecesi, et quidem etiam extra tempus visitationis.

editum. Romae, typis Fratrum Monaldi 1879, caput 1. n. 7. *De virga seu ferula qua utuntur Poenitentiarii.*

" Ut Poenitentiariorum Apost. munus ac excellens dignitas in Ecclesia decoraretur, eis insigne datum est, nempe virga seu ferula, iuxta antiquatam et nunquam interruptam primaevae Ecclesiae disciplinam.

Est ergo Virgae poenitentialis significatus respectu ipsius Poenitentiarii is, ut significet eius spiritualem potestatem et iurisdictionem quasi baculus pastoralis; respectu vero poententis tactus virgae significat eius dimissionem cum pace Domini, sicut antiqui Romani servum libertate donantes virga tangebant quasi pro ultima percussione.

Insuper ex concessione Benedicti XIV, 8 Febr. 1748, tam percussus poenitens quam percutiens Poenitentiarius, *toties, quoties*, indulgentiam 20 dierum lucrantur, iuxta Rescriptum Clement. XIV, 25 Sept. 1769, etiam animabus Purgatorii applicabilem. *(V. Rescripta in Archivio Archibasil. Lateranen.)*„

Iuxta aliquot DD. citatos a Ferraris (v. *Indulgentia*, a. 2. n. 19.) Archiepiscopi possunt concedere 80 dies, loco 40; at hoc nullo fundamento nititur et contrarium est communiori DD. sententiae ac Decretis ipsius S. I. C., cuius Decretum hac super re datum 1 Iulii 1889 tenoris est sequentis:

" Quamvis Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita exhibito olim dubio in una Camerinensi: " Utrum Archiepiscopi ratione dignitatis „ impertiri possint fidelibus indulgentiam *octoginta* „ *dierum* post benedictionem cum Ven. Eucharistiae „ Sacramento seu post quascumque alias peractas „ functiones, cum e contra Pontificale Romanum *qua-* „ *draginta* tantum *dierum* praescribat „ respondisset sub die 22 Febr. 1847: *Servandum esse Pontificale Romanum;* attamen cum nonnulli inter Archiepiscopos, uti relatum est, *etiam nunc* post suetas sacras in Pontificalibus functiones Indulgentiam *octoginta dierum* fidelibus elargiantur, Archiepiscopo de Guatemala dubium est obortum num id ex speciali tantum Apostolico Indulto fieri valeat, an potius quia Archiepiscopi nonnullorum auctorum opinione freti hac facultate se gaudere arbitrati sunt. Quare ab hac Sacra Congregatione sequentis dubii solutionem expostulat: " An Archiepiscopi absque speciali Apostolico Indulto *octoginta dierum* Indulgentiam elargiri valeant sibi subiectis Christifidelibus post habitam homiliam in Missis solemnibus in Pontificalibus celebratis. „ S. Congregatio sub die 1 Iulii 1889, audito unius ex Consultoribus voto, respondit: *In Decisis* per Decretum in una Camerinensi sub die 22 Februarii 1847. „

De Praelatis inferioribus.

Triplex est horum Praelatorum species.

Prima eorum qui praesunt certo generi personarum commorantium intra septa alicuius monasterii vel Ecclesiae, quae exempta sint a iurisdictione Episcopi.

Secunda eorum qui habent iurisdictionem in clerum et populum alicuius loci, qui tamen continetur intra territorium alicuius dioeceseos.

Tertia tandem, quae praecipua est, eorum qui iurisdictionem habent in clerum et populum alicuius loci qui constituit territorium proprium et separatum ab aliis dioecesibus; et qui proprie dicuntur *Praelati nullius* atque in proprio territorio exercere possunt fere omnia quae ad episcopalem dignitatem pertinent.

Iamvero isti omnes *nullam habent indulgentias concedendi* facultatem; quoad potestatem vero *vigilantiae* Praelati duarum primarum specierum plus minusve limitatam habent, *Praelati* vero *nullius* ea pollent, sicut Episcopi.

Neque difficultas oriri potest ex eo quod Praelati Regulares possunt bona opera subditorum extraneis communicare. " Dicendum est enim quidquid in hoc genere Praelati Religiosorum aut possint, aut faciant solum esse suffragiorum oblationes seu donationes, non vero esse indulgentiarum concessiones.... nam haec duo diversa esse manifestum est: nam quaelibet persona privata potest offerre suffragia pro alio ex suis operibus: indulgentiam autem concedere non potest etiam per modum suffragii. „ (Suarez *de Poe-*

nit. Disp. 55. sect. 5. n. 2). Quomodo autem possit Praelatus Religiosus alios participes facere satisfactionum quae fiunt in Ordine vide apud eumdem Suarez (l. c. n. 6; Bonacina *de Indulg.* Diss. VI. q. I. p. III. prop. III. etc.).

De Conciliis.

Concilia dividuntur in *generalia* et *particularia.* Iterum particularia in *plenaria, provincialia, dioecesana*, prout celebrantur pro aliqua regione vel provincia vel dioecesi. Iamvero quoad *vigilantiam* omnia Concilia possunt hac super re leges ad normam sacrorum canonum ferre: quoad *concessionem* Concilia *particularia* nihil possunt. Potestas enim concedendi indulgentias in inferioribus Papa est *taxata*, iuxta S. Thomam, *secundum ordinationem Papae.* Atqui in iure nihil est taxatum quoad eiusmodi Concilia. (Passerini, Tract. *de Indulgentiis,* edit. III. Venetiis MDCXCV. q. LXXXV. n. 628.)

Relate vero ad Concilium *generale* haec observari possunt cum Suarez (l. c. diss LV. sect. I. nn. 4. 5. 6.) " Concilium generale considerari (potest) aut cum Summo Pontifice personaliter praesidente aut sine illo. Priori modo clarum est posse concedere indulgentias, saltem ratione Summi Pontificis quem includit: de hoc vero non disputamus, quia illud non habet ratione sui, nec quatenus corpus quoddam est, sed quatenus caput habet et virtute illius.... Sumendum ergo est Concilium sine praesentia Capitis. Quod duobus modis potest contingere. Primus est quando adsunt Legati nomine Pontificis; alter est quando

nullo modo adest Pontifex nec per se nec per alium, quod solum potest contingere vacante Sede Apostolica,... vivente Pontifice... erit schismaticum conciliabulum... Si ergo Concilium sit unitum Capiti per Legatos habere quidem poterit facultatem concedendi indulgentias ex concessione eius; tamen hac seclusa ex se et divino iure nullam habet, quia nullibi concessa est... et quia non est necessaria cum perseveret potestas in Capite, et haec sufficiat ad providendum in genere universo corpori... Atque hinc a fortiori colligitur idem dicendum esse de Concilio generali acephalo. „

2. De iis qui potestatem habent vicariam vel delegatam.

De his sermo est in lib. I. Decret. a tit. XXVIII. ad tit. XXX.

Iamvero cum potestas horum generatim pendeat ab illis quorum vices gerunt, vel a quibus commissionem acceperunt, difficile est de iisdem loqui, quin prae oculis habeatur mandatum quod acceperunt. Quare, relictis reliquis, aliquid solum dicemus de Vicario Generali et de Vicario Capituli, et tandem de illis qui potestatem habent communicandi indulgentias.

De Vicario Generali.

Etsi Vicarius Generalis vi officii sui generaliter commissi expedire possit ea negotia quae ad ordinariam episcopi iurisdictionem spectant; nonnulla tamen exercere nequit sine speciali Episcopi man-

dato: ea nempe quae vel iure scripto, vel ex causae gravitate specialem commissionem requirunt. (D. 420. 18 Augusti 1868) Atqui inter haec recensenda est non solum indulgentiarum concessio, sed plura alia qaae cum iisdem connexionem aliquam habent. Quare prohibetur Vicario Generali, sine speciali commissione, Confraternitates erigere, confirmare statuta, testimoniales dare pro Confraternitatum aggregatione etc. (cfr. D. s. c.)

De Vicario Capitulari.

Relate ad *vigilantiam,* eadem pollent potestate ac Episcopi.

Relate ad *concessionem*, disputant DD. Communior videtur sententia quae negat, quam tenet etiam Fr. Theod. (p. I. cap. III. a. IV.) Ratio autem horum est quia indulgentiarum largitio non censetur necessaria ad regimen Ecclesiae, quod Vicarius ad tempus administrat. Praeterea concessio indulgentiarum potest recenseri inter actus gratiosos qui proprii sunt Episcopi. Ceterum in praxi prae oculis habenda responsio S. Cong. Conc. die 13 Nov. 1688. Interrogata enim hac super re respondit: " Vicarius Capitularis se abstineat. „ " Qua responsione S. C. C. licet in abstracto quaestionem iuris resolvere noluerit, tamen vetuit ne opinio auctornm tribuentium Vicario Capitularis facultatem concedendi indulgentias in praxim deduceretur. „ (Santi, *Prael. Iuris Can.* lib. I. tit. XXVIII; Bened. XIV, *de Synodo,* lib. II. c. IX. n. VII.)

De illis qui potestatem habent communicandi indulgentias.

Sicut R. P. concedere solet indulgentias sive *immediate* sive *per communicationem* indulgentiarum iam concessarum; ita dat etiam aliis eodem modo concedere indulgentias.

Cum de illis qui facultatem habent delegatam concedendi *immediate* indulgentias loquuti sumus, superesset aliquid dicendum de illis quibus potestas fit *communicandi* indulgentias; at de Regularibus atque Archiconfraternitatibus, quibus hoc ius competit, loquemur in 2ª parte; quoad vero Ecclesias, ut v. gr. Basilicas Maiores Urbis, et alia Collegia quae hoc privilegio fruuntur, nihil generale dici potest; cum modus quo communicatio fieri debet pendeat a tenore concessionis. Tantummodo adnotari potest quod communicari nequeat *privilegium altaris,* quod in iure habetur ut incommunicabile.

CAPUT IV.

De Subiecto.

Subiectum in genere est ille cui directe conceditur indulgentia. Dixi *directe,* nam aliquo sensu indulgentiae conceduntur etiam defunctis qui earum fructus percipere possunt, tamen nonnisi *indirecte* et mediantibus vivis, quibus conceduntur applicabiles favore defunctorum. (S. Thom. sup. q. LXXI. a. 10.)

Iam vero cum indulgentiae nequeant omnibus concedi, videndum est quaenam requirantur ut quis indulgentiarum subiectum dici possit.

Requiritur itaque:

1° ut sit *baptizatus,* quia potestas ecclesiastica ligandi et solvendi non exercetur nisi in subditos. Quare incapaces sunt indulgentiarum infideles, cathecumeni;

2° ut sit *actu membrum Ecclesiae,* quia indulgentiarum beneficium spectat ad communionem Sanctorum, cuius participes non sunt qui sive per apostasiam sive per excommunicationem sunt avulsi ab Ecclesia. Quare incapaces sunt apostatae, haeretici, schismatici, excommunicati excommunicatione maiori;

3° *ut sit subditus concedentis*, indulgentia enim est actus iurisdictionis. Usu tamen receptum est ut vagi, advenae et peregrini lucrari possint indulgentias locales quae tamen concessae non sint pro determinato coetu personarum, hi enim fruuntur privilegiis locorum, in quibus vagantur et peregrinantur; sicuti etiam Regulares etsi exempti a iurisdictione episcopali. Regulares enim in favorabilibus ab episcopali iurisdictione non excluduntur;

4° *ut capax sit peccandi*, non enim potest remitti poena quae non potest adesse. Quare incapaces sunt pueri ante usum rationis et perpetuo amentes; sicuti ob suam perfectionem Immaculata Virgo Deipara, quae immunis fuit ab omni culpa non solum originali sed etiam actuali. Inquiri potest an B. Maria Virgo si non sibi, animabus saltem Purgatorii indulgentias lucrifacere potuisset. Iam vero in sen-

tentia eorum qui tenent Ecclesiam directe applicare defunctis indulgentias, nulla difficultas; at in sententia aliorum qui tenent Ecclesiam, nonnisi mediante vivo, indulgentiam applicare, quam sententiam et nos sequimur, controverti posset. Ceterum hic defectus ostenderet maximam B. V. perfectionem, quae sicut incapacem Eam reddit absolutionis sacramentalis, ita et indulgentiarum; abunde autem Ei datum est compensare huic defectui sive per proprias satisfactiones, quibus opus non habebat, sive per potentissimam intercessionem apud divinum suum Filium.

CAPUT V.

De conditionibus necessariis ad lucrandas indulgentias.

Conditiones ad lucrandas indulgentias necessariae tres assignantur a *Raccolta*, (pag. XI.) scilicet *Status gratiae*, *Intentio*, *Adimpletio operum praescriptorum;* quorum duae priores se habent proprius ut *dispositiones* removentes *obicem* et tantummodo tertia uti *conditio*. Quidam DD., praesertim sub finem saeculi elapsi, addunt quartam conditionem, scilicet *propositum efficax satisfaciendi* Deo per opera satisfactoria. Quod probant potissimum ex eo quod praeceptum faciendi poenitentiam sit naturale et divinum, et ex verbis Bonifacii VIII in Bulla pro Iubilaeo " unumquemque plus mereri et efficacius consequi indulgentias, qui Basilicas ipsas Apostolorum amplius et devotius frequentat. „ Sed haec

quarta conditio a *Raccolta* non exigitur et communiter reiicitur a DD. ut imminuens vim indulgentiae. " Nec obstat communi sententiae praeceptum naturale et divinum poenitentiam agendi, (ait Palmieri (l. c. § v. III.) nam huic ex parte (id enim tantum ipsi adversarii requirunt) fit satis ipsa susceptione Sacramenti et convenienti satisfactione quae ibi imposita peragatur. „ Quoad vero verba Bonifacii VIII, referenda sunt ad dispositiones; qui scilicet plus facit et devotius agit, is reatum cuiuslibet vel minimae culpae facilius abolebit et sic certior erit effectus indulgentiae.

Art. I.

DE STATU GRATIAE.

Prima inter conditiones est *status gratiae* pro eo temporis momento, quo indulgentia est lucranda: qui status, si agatur de lucranda *totaliter* indulgentia plenaria, coniunctus esse debet cum detestatione omnium peccatorum venialium.

Facile intelligitur *haec altera pars;* nam non potest remitti poena quin remissa fuerit culpa; ut ergo indulgentia plenaria *totaliter* lucrifiat, omnis culpa non solum mortalis sed et venialis in antecessum debet esse remissa. Dixi *totaliter:* " Pontifex enim concedendo indulgentiam plenariam non praesumitur velle eam restringere tantum ad eos quibus remittuntur omnia venialia, sed potius illam concedere iuxta capacitatem subiecti, ut remittatur saltem poena venialium illorum, quorum culpa remissa est. „ (S. Alph. *de Poenit.* n. 534 in fine)

Quoad *primam partem,* conveniunt DD. requiri statum gratiae saltem pro indulgentiis pro vivis. " Fuerunt tamen, uti notat Palmieri (l. c. § I. n. XI.) quidam Theologi qui contrarium censuerunt, quod spectat ad remissionem poenae debitae mortalibus iam remissis, cum non videatur repugnare quod Deus conferat hoc beneficium etiam peccatoribus, quibus alia potiora, ut sunt gratiae actuales, concedit.... quia temporalis poena debita peccatis iam remissis distingui potest a poena aeterna debita novo peccato, sicut diversus est titulus debiti, et in indulgentia non agitur de remissione, quam quis per actus suos mereatur, sed quae ei propter aliquam piam causam concedatur ab aliis et quia per se (quod probabilius saltem censemus) posset patiente peccatore desinere debitum prius, manente altero, nondum mihi evidens est non posse per indulgentiam condonari peccatori poenam temporalem debitam peccato alteri iam remisso, cum praesertim opera requisita pro obtinenda indulgentia valeant etiam facta in statu peccati... Ceterum tutius putamus sequi sententiam communem. „

Quae ergo sententia potiusquam argumentis intrinsecis fundatur in voluntate Pontificis, qui requirit tamquam dispositionem necessariam, ut quis capax sit lucrandae cuiusvis indulgentiae sive plenariae sive partialis, *statum gratiae.* (D. 427. 17 Decemb. 1870)

Quoad vero indulgentias *pro defunctis* interrogata S. C. hac super re, respondit (D. 341. 22. Feb. 1847): " Consulat probatos Auctores. „ Iamvero AA. discrepant. Suarez (*de Sacram. Poenit.* disp. LIII. sect. IV. 5.) negat; ipse enim censet, Pontificem immediate et directe concedere indulgentiam defuncto, requirendo

solum a vivente, tamquam conditionem, aliquod opus bonum, quod et in statu peccati praestari potest. E contra Lugo (*de Sacram. Poenit.* disp. XXVII. sect. v. n. 75.) et alii affirmant. Cum enim, ait Palmieri (l. c. § IV. v.), " qui indulgentiam quam acquirit applicat defuncto operatur ad modum illius qui suffragatur, iure in hoc requiritur ea conditio quae requiritur in iis qui pro aliis satisfacere volunt, nempe status amicitiae divinae. „

Exceptionem tamen fieri debere videtur pro indulgentia *Altaris privilegiati.* Haec enim indulgentia applicatur defunctis a sacerdote, non uti persona privata, sed uti repraesentante Ecclesiae, cuius nomine Sacrificium offert et indulgentiam applicat. Atqui Ecclesia est sine macula et ruga.

Tandem advertendum est statum gratiae requiri *eo temporis momento quo indulgentia est lucranda.* Cum vero generatim indulgentia lucratur tunc cum perficitur ultimum opus iniunctum, hinc communiter dicitur hunc statum gratiae requiri *quum ultimum opus absolvitur.* At prior expressio est magis generalis, comprehendit enim etiam casum indulgentiae *in articulo mortis,* quae acquiritur in ipso articulo mortis, etsi quis iam antea expleverit opera praescripta, imo etsi nihil absolverit, cum aliquando conceditur indulgentia in articulo mortis absque opere iniuncto.

Art. II.

DE INTENTIONE.

Intentio est — actus voluntatis quo aliquid nobis proponimus assequendum vel faciendum.

Intentio dividitur 1° in *actualem, virtualem*, *habitualem* et *interpretativam.* " *Actualis,* (quam alii *formalem* appellant, Fr. Th. p. I. c. X. a. V.) est quae dum agitur habetur et advertitur clare; *virtualis* est quae habita perseverat influens in opus, quin tamen ipsa advertatur; *habitualis,* quae olim habita est et non fuit retractata; *interpretativa*, quae nec fuit nec est, sed esset, si eius obiectum menti proponeretur; est idcirco solum dispositio voluntatis ad eam habendam. „ (Ballerini S. I. *Opus theologicum morale in Busembaum Medullam*, absolvit et edidit Dominicus Palmieri ex eadem Societate. Prati 1891 vol. IV. tract. X. sect. I. n. 14.) Notandum est apud Scholasticos antiquiores et apud S. Thomam (3. q. 64. a. 8. ad 3.) duplex solum esse membrum distinctionis, scilicet *actualem* et *habitualem,* quo nomine intelligitur ea quae postea dicta est *virtualis.* (Card. Franzelin, *de Sacramentis in genere,* th. XVI. scholion I.)

2° In *generalem* et *specialem.* Intentio dicitur *specialis* quando quis intendit lucrari specifice hanc vel illam indulgentiam; e contra dicitur *generalis* quando quis intendit per sua pia opera acquirere omnes indulgentias quas potest, etsi etiam nesciat huic vel alteri operi indulgentias esse adnexas.

Conveniunt DD. requiri *intentionem* ad lucrandam indulgentiam defunctis applicabilem. Cum enim liberum sit fideli vel sibi vel defuncto eam applicare, necesse est ut per intentionem id determinet. Excipitur tamen indulgentia altaris privilegiati. " *Missa* enim celebrata *ad altare privilegiatum* est *per se* privilegiata, quin necesse sit ut vel offerens eleemosynam vel sacerdos intendat applicare privi-

legium. „ (D. 366. 12 Martii 1855) Et ratio est quia haec indulgentia applicatur a sacerdote uti Ecclesiae Ministro. Atqui sicuti liberum non est sacerdoti offerre vel non Sacrificium nomine Ecclesiae; sic liberum ei non est non applicare indulgentiam, quam Ecclesia tali oblationi Sacrificii adnexuit.

Quaeritur utrum indulgentia pro defunctis applicari possit pluribus; sed cum huic quaestioni occasionem dederit resolutio quaedam pro altari privilegiato, melius de eadem loquemur infra, ubi de altari privilegiato.

At quoad *indulgentias pro vivis* controvertunt DD. Attamen ad evitandam quamdam confusionem quae penes aliquot invenitur, adnotandum est hic non esse quaestionem, an requiratur intentio ad ponenda opera praescripta pro lucranda indulgentia; quae quidem opera cum per actum humanum poni debeant, ponenda semper sunt ex intentione sive actuali sive virtuali: nec pariter quaestionem esse, an requiratur intentio quando v. gr. iniunguntur preces iuxta intentionem Pontificis, quae quidem specialis intentio ut pars operis praescripti est omnino necessaria: quaestio igitur est, an requiratur *taxative* intentio lucrandi per tale opus, per tales preces iuxta intentionem Pontificis fusas, indulgentiam adnexam.

Iamvero tutior videtur sententia quae tenet requiri. Quidquid enim sit de argumentis intrinsecis quae pro utraque sententia afferuntur, atque de auctoritate Doctorum qui unam vel alteram defendunt, intentio certo requiritur ab Instructione quae continetur in authentica *Raccolta di orazioni* etc. pag. XII; de qua *Raccolta* haec habentur in Decreto

approbationis " ad decidenda dubia quae forte de sensu concessionis aut de *conditionibus* lucrandarum indulgentiarum oriantur, eamdem hanc Syllogem normae instar esse debere Sanctitas Sua mandavit. „ (l. c. pag. IV.)

Quod si ulterius quaeratur quaenam ex supradictis intentionibus ab ipsa *Raccolta* requiratur et sufficiat, ipsa *Raccolta* expresse declarat sufficere *generalem*, quoad vero alias species licet explicite nihil habeat, implicite videtur declarare sufficere *habitualem*. Et sane nulla potest esse quaestio de interpretativa, quae nulla est, sicut de actuali, quam requiri nimis esset gravosum ac praeterea contrarium est iis quae habet (ut patebit ex dicendis) ipsa *Raccolta:* quaestio igitur reducitur ad virtualem vel habitualem. Atqui dixi, videtur ex *Raccolta* sufficere habitualem. Et sane *Raccolta* postquam dixit necessariam esse intentionem saltem generalem, ita prosequitur: " Quare optimum esset consilium renovare quotidie mane intentionem lucrandi omnes et singulas indulgentias quae acquiri possunt in decursu diei. „ Sed quinam influxus exercetur ab hac intentione, quae nec necessario exigitur ut quotidie de mane eliciatur, relate ad plura opera quibus adnexae sunt indulgentiae et quae fiunt in decursu diei ob speciales fines, ut v. gr. si quis visitet Ecclesiam stationalem causa assistendi triduanis precibus pro infirmo? Intentio ergo videtur requiri non quia opus quod fieri potest ob varios fines, fiat ex speciali intentione lucrandi indulgentias, quod esset requirere saltem intentionem virtualem, uti requiritur a ministro sacramentorum, sed quia Ecclesia non videtur

velle conferre indulgentias nisi eas cupientibus. Quae quidem intentio respectu ad indulgentias est solum *habitualis*.

Art. III.

DE ADIMPLETIONE OPERUM PRAESCRIPTORUM.

Duo de hac videbimus, *necessitatem* scilicet atque *modum* adimplendi opera praescripta.

§ 1. *De necessitate adimplendi opera praescripta.*

Necessitas adimplendi opera praescripta est omnino absoluta: agitur enim de concessione conditionata quae, non impleta conditione, non sortitur effectum.

Neque, *excepto casu legitimae commutationis,* sive ignorantia, sive negligentia, sive impotentia vel quaecumque demum alia causa excusare potest a totali vel partiali adimpletione: non enim hic agitur de damno vitando, sed de obtinendo beneficio, ad quod quis nullum ius habet, cui proinde, debita deficiente conditione, nulla iniuria fit si denegatur.

Conveniunt tamen DD. *omissionem parvam,* relate ad id quod exigitur, non impedire acquisitionem indulgentiae, ut v. gr. una vel duae *Ave Maria* in recitatione Rosarii, parvum enim pro nihilo reputatur.

Excipitur casus *commutationis. Commutatio* est substitutio alterius operis operi praescripto, et fieri potest cum aliqua *dispensatione vel non,* prout opus quod substituitur inferius sit vel moraliter aequale. Commutare possunt, qui indulgentiam concessit, eius-

que successor ac denique omnes qui facultatem a legitimo Superiore habuerint, in quo postremo casu observandae sunt conditiones appositae a delegante; aliquando enim requiritur ut fiat in actu confessionis, aliquando non, etc.

Ex Decreto *Urbis* et *Orbis* 18 Sept. 1862. D. 393. Omnes confessarii habent facultatem commutandi in alia pia opera communionem et visitationem Ecclesiae habitualiter infirmis, cronicis, qui ob phisicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes sunt, exceptis illis qui in communitate sunt. Pro quibus in communitate viventibus provisum est postea per Decretum S. I. C. die 19 Decemb. 1885 (*Raccolta* pag. XXIII.) quod ita se habet: " Infirmi vero aut senio confecti in communitate et sub regula viventes, qui Ecclesias aut Oratoria visitare aliave pro indulgentiis praescripta exsequi nequeunt, indulgentias nihilominus lucrantur item adimplendo alia pia opera confessarii arbitrio praescribenda; „ quae concessio, ut patet, est magis favorabilis quam alia pro fidelibus in communitate haud viventibus.

§ 2. *De modo adimplendi opera praescripta.*

Plures sunt normae servandae pro recta adimpletione operum praescriptorum, quorum aliae *communes* sunt omnibus operibus, aliae vero *speciales*, de quibus distinctim.

NORMAE COMMUNES.

Hae reduci possunt ad *unicam normam fundamentalem*, ut scilicet — opera adimpleantur iuxta modum atque omnes circumstantias praesertim *temporis* et *loci*, secundum quas praescripta sunt.

Qua praestituta norma fundamentali nunc declarandae veniunt normae *particulares*, quae ad eamdem reducuntur; et quae respiciunt sive *modum* sive *circumstantias*.

Quoad *modum:*

1° Opera implenda sunt *personaliter*. (*Raccolta* pag. XIII.) Et sane indulgentiae conceduntur iis qui ieiunant, qui orant, etc.; atqui non potest dici ieiunare, orare, ille qui per alium haec opera exsequitur. Quidam excipiunt eleemosynam: at non videtur excipienda, " per accidens enim est quod quis det per manus proprias aut alterius, dummodo det de suo. „ (Lugo, l. c. disp. XXVIII. sect. VI. n. 86);

2° actu *humano;* quare ex *intentione* sive *actuali* sive *virtuali;*

3° actu *moraliter bono*. " Opera enim quae peraguntur sunt coram Deo ratio cur Ecclesia remittat poenas Deo debitas, supponit proinde Ecclesia ea opera a Deo acceptari eique placere, atqui nequeunt Deo placere peccata. „ (Ballerini, tract. x. app. [1]) *de Suffragiis et de Indulgentiis* n. 51)

[1]) Cum titulus huius Appendicis duos habeat asteriscos, ex iis quae habentur in Praefatione vol. I. pag. IX, tribuenda est Palmieri; tamen cum integrum Opus sit Ballerini, citabimus etiam hanc Appendicem sub nomine Ballerini.

Quaestio fit a DD. an per opus *venialiter* peccaminosum ratione circumstantiae satisfiat operi iniuncto.

Ut patet, nulla potest esse quaestio de opere mortaliter peccaminoso ratione circumstantiae. " Si enim v. gr. finis sit moraliter malus, h. e. mortaliter pecces illum intendens, nequis ullo modo in eo quod vis propter finem, placere Deo a quo plene averteris actu, dum mortaliter peccas: sic qui succurrit pauperi familiae, ut eam avertat a fide, eius actio est prorsus mala. „ (Ballerini, vol. I. tract. I. c. VIII. n. 162.) At quoad opus *venialiter* tantum peccaminosum controvertunt DD. Quidam putant satisfieri, dummodo finis vel circumstantia mala non corrumpat totaliter actum, ut v. gr. si quis oraret mere ut ab hominibus videatur. Quod ita declarat Suarez (l. c. disp. LII. sect. II. n. 3.) " Quoties in ipsa concessione nihil declaratur, sed tantum opus ipsum ex suo genere bonum postulatur, ita est interpretanda illa conditio, quia verba ipsa nihil amplius requirunt: et cum concessio favorabilis sit, ample est interpretanda, nec debemus adiungere onus, quod Dispensator non explicavit, neque enim repugnat tale opus fieri intentione sufficiente ad lucrandam indulgentiam, et nihilominus admisceri tali operi circumstantiam aliquam moraliter malam, ut si quis oret animo lucrandi indulgentiam, seu petendi et impetrandi quod Pontifex intendit, et nihilominus irreverentiam aliquam, vel distractionem admittat, ratione cuius, oratio peccaminosa fiat, saltem venialiter. Item si cum intentione illa habeat aliam peccaminosam, ut inanem gloriam et ostentationem, quae non solum concomi-

tanter se habeat, sed etiam influat in actum, ita ut communicet illi malitiam; non enim necessario excludit alteram intentionem et consequenter non impedit, quominus conditio requisita ad indulgentiam humano modo et sufficienti voluntate impleatur. „ Quidam distinguunt cum Laymann (*de Indulgentiis*, lib. v. tract. VII. c. VI. nn. 3. 4.) inter opus iniunctum quod conducat ad finem *intentum*, etsi fiat solum secundum *substantiam*, et opus quod non conducit ad finem intentum nisi *sancte* fiat; et dicunt satisfieri per opus bonum quoad *substantiam*, licet venialiter peccaminosum in prima hypothesi, non vero in altera. Exemplum primae hypothesis affertur ab ipso Laymann, sc. eleemosina postulata pro bellica expeditione contra Turcas. Tandem Fr. Theodorus (p. I. c. x. a. IV.) distinguit inter opus venialiter peccaminosum *ex voluntario perfecto* volitum, et opus venialiter peccaminosum *ex voluntario imperfecto;* et concludit cum Passerino (Tract. *de Indulg.* qu. 39. n. 318) in altera hypothesi satisfieri, non vero in prima;

4° *quin tamen requiratur ut opus ponatur in statu gratiae:* opus enim se habet ut mera conditio et aliunde opus bonum supernaturale et salutare in statu quoque peccati fieri potest, quando absit affectus ad peccatum.... itaque nisi aliter exigat Concessor indulgentiae vel rei natura, (ut v. gr. in communione) necesse haud est opera praescripta in statu gratiae fieri. „ (Ballerini, l. c. n. 23.)

5. Praeterea *requiritur, nisi constet de contraria voluntate concedentis, ut opus non sit alias obligatorium.* Quoad *preces* habetur Decretum S. I. C. (D. 291. 29 Maii 1841). Ad dubium enim " an possit per pre-

ces alias obligatorias, v. gr. per *Horas canonicas*, satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ad lucrandam indulgentiam plenariam. „ S. I. C. respondit negative. Quoad *cetera opera,* licet sint DD. qui tenent indulgentias acquiri posse per opus alias obligatorium, tamen tutior videtur sententia contraria. " Satis enim aequum videtur ut gratuitum beneficium, quale est indulgentia poenae Deo debitae, iis conferatur qui aliquid praestant praeter id quod debent; ut sic causa donandi indulgentias, quae apud Deum valeat, certior sit. Hanc veriorem opinionem videri, ait Benedictus XIV Constit. *Inter praeteritos*, § 53. „ (Ballerini, l. c. n. 55.) Quae quidem sententia magis magisque confirmatur ex allato Decreto de precibus obligatoriis; nulla enim suppetit ratio cur, quod de precibus dicitur, non dicatur etiam de aliis operibus.

Dixi nisi constet de *contraria voluntate* concedentis; aliquando enim Largitor indulgentiae declarat satisfieri operi praescripto per opus alias obligatorium: sic Communio die Paschatis sufficere potest ad lucrandam indulgentiam benedictionis papalis et ad satisfaciendum praecepto paschali. (D. 288. 19 Martii 1841).

Conveniunt DD. (Maurel, *le Chretien éclairé sur la nature et l'usage des Indulgences*, dixième édition pag. 92; Beringer, *les Indulgences,* 1. p. § 3. pag. 69; *Tractatus de Indulgent. ad usum Sem. Arch. Mechliniensis* pag. 36) in communitatibus religiosis, in quibus regula ordinarie non obligat sub peccato, preces et pia opera quae a regula praescribuntur, posse inservire ad lucrandas indulgentias iisdem adnexas. Idem videtur valere etiam pro opere debito

ex voto saltem privato: " opus pro indulgentia acquirenda peragendum debet esse opus quod libere ponatur ultra obligationem legis, cuiusmodi est etiam opus debitum ex voto, nam originem si spectes, ipsum est ex arbitrio agentis. Ita saltem censet Lugo, disp. 27. n. 110, qui ait id quoque usu constare. „ (Ballerini l. c. n. 73).

Quaestio fit, an preces et generatim pia opera quae imponuntur a confessario pro poenitentia inservire possint ad lucrandas indulgentias.

Videtur respondendum esse cum distinctione; vel enim agitur de determinata aliqua prece et genetim de determinato aliquo opere, cui a RR. PP. adnexae sunt indulgentiae, ut puta exercitium Viae Crucis; vel agitur de prece aut opere cui non est adnexa indulgentia sed quod praescribitur pro lucratione alicuius indulgentiae. Iamvero in hoc *secundo casu* liberum non est fideli uno eodemque opere et poenitentiae a confessario impositae satisfacere et indulgentiam lucrari, ut puta si praescribatur ieiunium pro lucranda indulgentia Iubilaei, et simul a confessario pro poenitentia imponatur; uno eodemque ieiunio non potest quis et poenitentiam implere et indulgentiam lucrari, quia ut diximus nemo potest per opus alias obligatorium satisfacere conditioni impositae ad indulgentiam lucrandam. E contra in *primo casu* cum opus pro poenitentia praescriptum iam sit *indulgentiatum*, poenitens eodem opere et poenitentiam implebit et indulgentiam acquiret. Non enim principium supradictum videtur posse ad hunc casum extendi. Quod quidem confirmatur ex praxi. Et sane Amort (in suo opere *De origine, progressu, valore*

ac fructu indulgentiarum... accurata notitia historica, dogmatica, polemica, critica, quaer. 33.) testatur suo tempore communem fuisse praxim " confessariorum frequentissime imponentium pro poenitentia, ut confitentes recitent preces indulgentiales. „ Et specialius pro praxi quae Romae servatur, habetur testimonium Maurel (l. c. pag. 92) qui ait: " A Rome on est dans la même persuasion par rapport aux prières et actes de vertu imposés pour pénitences par les confesseurs; et ceux-ci imposent volontiers les pénitences aux quelles sont attachées des indulgences. Le savant Eusèbe Amort (*Theol. mor.* tom. III. disp. VII. *de Indulg.* quaer. 32) nous apprend que, déjà de son temps, la pratique commune des confesseurs était de donner pour pénitence la récitation des prières prescriptes pour gagner les indulgences; et cet usage lui parait sanctioné au moins implicitement par les Pontifes Romains. „

6° Ulterius *uno eodemque opere,* cui ex variis titulis indulgentiae adnexae sunt, *nequeunt indulgentiae omnes acquiri,* nisi agatur de opere quod tempore statuto pro indulgentiis acquirendis nequeat vel non soleat iterari. Hoc clare enuntiatur a *Raccolta* pag. XV. (cfr. etiam Decretum 434, 12 Ianuarii 1878.) Quare si v. gr. uni coronae applicatae fuerint indulgentiae diversae, v. gr. indulgentiae dictae Apostolicae et indulgentiae Rosarii; ad lucrandas tam primas quam alteras indulgentias necessarium est renovare opera iniuncta renovabilia. (D. 249. 29 Februarii 1820).

7° Tandem quando plura praescripta sunt opera, et nullus inter eadem statutus est ordo: possunt *exsequi eo ordine, quem quis praetulerit.*

Quoad *circumstantias.*

De circumstantia *loci* loquemur infra, hic aliquid tantum dicemus de *temporis* circumstantia.

Regula generalis est ut " *opera fiant intra tempus a concessionibus praefinitum* „ (D. 426. 2 Octobris 1870).

Videbimus infra *exceptiones* quoad Confessionem et Communionem; hic referemus nonnullas S. I. C. resolutiones quae respiciunt *modum* computandi tempus nec non *interpretandi* concessiones, quae ad idem referuntur.

De computatione temporis:

1° Dies naturalis computatur a *media nocte* ad *mediam noctem* (D. 434. 18 Ian. 1878). Unde nisi aliud expresse habeatur in Indultis, indulgentiae affixae diei, lucrandae incipiunt a media nocte. (*Raccolta* pag. XIV.)

2° Dies ecclesiasticus computatur a *primis vesperis* usque ad solis occasum.

Hic iam quaeri potest a quonam tempore initium *primarum vesperarum* sit desumendum pro assequendis indulgentiis? Non una est in hac re DD. sententia: alii enim iudicant tempus ab ipso meridie decurrens sumi posse pro hora Vesperarum; fert enim usus ut statim post meridiem privatim recitari valeant Vesperae: alii e contra statuunt tempus veluti medium meridiem inter et solis occasum: alii demum affirmant horam secundam circiter post meridiem quovis anni tempore retineri posse ut congruum quoad primas Vesperas pro lucrandis iis indulgentiis quae conceduntur a primis Vesperis. Ex his tamen allatis sententiis secunda conformior videtur

his quae habentur in *Raccolta* pag. XXII. " Quum in his (scilicet concessionibus) leguntur haec verba *a primis vesperis*, intelligitur visitationem fieri posse etiam in pervigilio, minime vero ante horam qua *communiter* vesperae *publice* recitari solent.„ Atqui hora qua communiter vesperae publice recitari solent retineri potest ea quae assignatur in secunda sententia, hora videlicet media inter meridiem et solis occasum.

Quod vero alteram partem formulae *usque ad solis occasum*, haec ita intelligenda est ut indulgentia protrahatur usque ad vespertinum crepusculum. Benedictus XIV Bulla *Peregrinantes,* 5 Maii 1749 § 6. (Beringer, *les Indulgences* pag. 80; *Tract. de Indulg. ad usum Sem. Mechlin.* pag. 27). In Calendariis notatur pro variis anni temporibus hora crepusculi quae est circiter una hora post *Ave Maria* serotinam.

De interpretatione aliquot formularum :

1° Quando indulgentia plenaria concessa est *in festis* vel *in omnibus festis,* vel *in omnibus et singulis festis Domini,* aut etiam *in festis* vel *in omnibus festis*, vel *in omnibus et singulis festis D. N. I. C.*, semper intelligenda sunt festa praecipua, scilicet Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Dominicae Paschatis, Ascensionis et Corporis Christi. (D. 392. 18 Septembris 1862).

2° Quando vero indulgentia partialis concessa est *in reliquis omnibus festivitatibus Domini*, hoc intelligendum est de omnibus festis Domini quae celebrantur ab universa Ecclesia, ut sunt festa SS. Nominis Iesu, Inventionis et Exaltationis S. Crucis, SS. Cordis

Iesu, pretiosissimi Sanguinis, Transfigurationis D. N. I. C. (D. s. c.).

3° Quando indulgentia plenaria concessa est *in festis* vel *in omnibus festis*, vel *in omnibus et singulis festis B. M. V.,* intelligenda sunt dumtaxat festa Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis (D. s. c.).

4° Quando concessa est indulgentia partialis *in reliquis omnibus festis eiusdem B. M. V.,* hoc intelligendum est de omnibus festis B. M. V. quae celebrantur ab universa Ecclesia. Talia sunt festa Septem Dolorum (feria VI post Dom. Passionis et Dom. III Septembris), Visitationis B. M. V., de Monte Carmelo, ad Nives, SS. Nominis, de Mercede, SS. Rosarii, Praesentationis in templo (D. s. c.).

5° Quando indulgentia plenaria vel partialis concessa est in *omnibus* et *singulis festis Apostolorum,* hoc intelligendum est de festo Natali, non vero de aliis festis uniuscuiusque Apostoli. Unde non intelliguntur festa Cathedrae S. Petri, Conversionis S. Pauli, S. Petri ad Vincula, S. Ioannis ante portam Latinam, etc. (D. s. c.).

NORMAE SPECIALES.

Opera quae communiter praescribi solent pro acquisitione indulgentiarum sunt: *Confessio, Communio, Oratio, Eleemosyna, Ieiunium, Visitatio* alicuius *Ecclesiae* vel *Altaris;* de quibus distinctim.

De Confessione.

Confessio quando apponitur pro indulgentiarum consecutione 1° *peragi debet etiam ab iis qui lethalis peccati sibi conscii non sunt* (D. 214. 19 Maii 1759). Non enim requiritur ut dispositio ad gratiam sed uti conditio. Quod si plures indulgentiae lucrandae eadem die requirant confessionem, sufficit una confessio, agitur enim de opere quae eadem die iterari non solet (D. 434. 12 Ian. 1878);

2° debet esse *sacramentalis*, scilicet in ordine ad recipiendam absolutionem, tamen non est necesse ut sacramentalis detur absolutio ad indulgentiam lucrandam (D. 295. 15 Decemb. 1841);

3° *peracta eo temporis spatio quo lucrari potest indulgentia.*

Exceptiones: 1ª *pro omnibus fidelibus,* ut confessio peragi possit die, qui immediate praecedit sequentem pro quo concessa est indulgentia (D. 426. 6 Octob. 1870):

2ª pro *fidelibus* qui *frequenti peccatorum confessione animam studentes expiare,* semel saltem in hebdomada ad sacramentum poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullius lethalis culpae a se post praedictam confessionem sibi conscii sunt, confessio hebdomadalis valida est ad lucrandas omnes et quascumque indulgentias etiam Portiunculae, excepta tamen indulgentia Iubilaei tam ordinarii quam extraordinarii et ad instar Iubilaei. (D. 231. 9 Decemb. 1763; D. 364. 12 Martii 1855).

" *Hebdomadaria* autem, notat Lehmkuhl (vol. II. n. 539) *confessio* reputatur eorum qui quavis hebdo-

mada confiteri consueverunt; neque requiritur, ut quaelibet confessio a sequenti, aequali spatio septem dierum distet. Neque puto (sequitur in *nota*) ullo modo contrarium probari responso nuper dato 23 Novemb. 1878 (Decret. authent. 439) " hebdomadam intelligi stricte spatium septem, non octo dierum; „ id enim verissimum est, idque verificatur, etsi poenitens hac hebdomada feria II, sequenti hebdomada feria VI, subsequenti feria III confitetur. Nam in exemplis allatis verum est, poenitentem semper intra quodlibet spatium a Dominica usque ad Sabbatum inclusive, i. e. septem dierum, aliquam confessionem instituisse. Negavit autem iure S. Congregatio, intelligi posse spatium octo dierum: alias pronum esset concludere, sufficere, ut aliquis v. gr. confiteretur primum Dominica die 13 Iunii, secundo 28 Iunii; nam ille vere confessus esset infra duo octidua sibi succedentia, i. e. primo die prioris octidui et ultimo secundi octidui, verum qualibet hebdomada confessus non esset, quum confessio incidat in Dominicam primae, et in feriam II tertiae hebdomadae. Nihilominus, qui frequentius confessionem ultra septimum diem protrahit, iam dici nequit consuevisse quavis hebdomada confiteri, potest autem optime, si hoc una vice facit, altera vice brevius spatium observaturus. Imo si casu raro aliqua hebdomada sine confessione excidat, ne id quidem quidquam obest, quoniam consuetudinem hebdomadariae confessionis non destruit: quod video etiam referri in *Raccolta*, pag. XVIII vid. si quando ob legitimum impedimentum exceptio fiat a regula hebdomadariae confessionis, id non obesse indulgentiis lucrandis. „

Tandem advertendum est a S. Indulgentiarum Congregatione statutum fuisse ut in iis locis in quibus propter confessariorum inopiam fideles nequeunt frequenter confessione sacramentali expiari, concedatur, *postulantibus Episcopis*, ut confessio peracta *infra hebdomadam* ante festivitatem suffragari possit ad lucrandas omnes indulgentias quae intra praedictum tempus occurrunt (D. 252. 12 Iunii 1822; D. 295. 15 Decemb. 1841); ubi tamen adverti debet verba illa *infra hebdomadam* non extendi ultra dies octo immediate praecedentes festivitatem cui adnexa est indulgentia.

Non erit abs re heic advertere Apostolicam Sedem, *postulantibus Episcopis*, indulgere etiam fidelibus, in locis ubi habetur inopia confessariorum, ut confessio habitualiter peracta *infra duas hebdomadas,* id est quolibet decurrente quatuordecim dierum spatio, sufficiat ad lucrandas indulgentias quae eo temporis intervallo decurrunt. (*Raccolta*, pag. XIX; D. 439. 23 Nov. 1878).

De Communione.

Communio debet esse 1° *sacramentalis*, quare non sufficeret mere spiritualis;

2° *non sacrilega;*

3° *peracta eo temporis spatio quo lucrari potest indulgentia.*

Exceptiones:

1ª Communio, sicuti Confessio, peragi potest pridie illius diei cui adnexa est indulgentia (D. 434.

12 Ian. 1878); excepta Communione pro indulgentia Iubilaei vel in forma Iubilaei.

2ª Communio *tempore Paschali* peracta sufficit ad satisfaciendum praecepto Paschali et ad lucrandam indulgentiam, pro qua praescripta est communio, dummodo indulgentia non sit in forma Iubilaei, pro qua requiritur peculiaris confessio et communio. (D. 327. 10 Maii 1844).

De Eleemosyna.

Eleemosyna, iuxta definitionem S. Thomae, est opus quo datur indigenti ex compassione propter Deum. Est autem " per accidens quod quis det per manus proprias aut alterius, dummodo det de suo. „ (Lugo *de Sacram. Poenit.* disp. XXVII. sect. VI. n. 86.)

Eleemosyna distinguitur in *spiritualem* et *corporalem,* prout indigentia proximi cui subvenitur est spiritualis vel corporalis.

Quaestio fit a DD. I. an sufficiat eleemosyna spiritualis.

Non defuerunt qui docuerunt sufficere, sed communiter DD. contrariam tenent sententiam. Et sane quando RR. PP. eleemosynam exigunt, iis utuntur expressionibus, quae nonnisi ad corporalem referri possunt; sic dicunt: " eleemosynas pro posse distribuant „ " pauperibus et indigentibus personis aut locis piis eleemosynas erogent. „ (Fr. Th. p. I. c. XI. a. 3).

II. Quanta debeat esse eleemosyna.

Respondet Fr. Theod. (l. c.), distinguendo pro diversitate formulae, quibus eleemosyna iniungitur. Si enim formula esset: " eleemosynam pro posse di-

stribuant „ vel “ quantum pro sua cuique facultate visum fuerit, „ tunc debet fieri eleemosyna secundum cuiuslibet personae statum et conditionem: adeoque obulum quod forte a paupere datum foret superabundans, diviti minime sufficeret: e contra si formula esset: “ eleemosynas pro arbitrio suo fecerint, „ quaelibet minima eleemosyna sufficit, quia Pontifex in huiusmodi concessionibus principaliter intendit eleemosynam prout est actus virtutis misericordiae, adeoque aliud non requirit, quam tantae quantitatis traditionem, quae veram eleemosynam constituet.

III. An pauperes, filii familiae, religiosi etc. ad eleemosynam teneantur.

Sic respondet Viva (l. c. q. VIII. a. VI. II.) “ Negant Faustus, Navarrus, aliique, quia non est verisimile Pontificem velle obligare eum, qui impotens est; unde communiter laudati Doctores docent, non oportere, quod tale opus a confessariis commutetur; sicut diximus de pueris, quod non debet communio in aliud opus a confessario commutari. Sed probabilius dicendum cum Boss. sect. 4. cap. 11., Gobat. cap. 29. n. 14., Pasqual. qu. 127., etiam pauperes teneri; tum quia nemo tam pauper est, quin possit obulum dare, vel ab alio petere, ut in eleemosynam detur pro Iubilaeo comparando; tum etiam quia potest facile a confessario in aliud opus commutari. Neque obstat quod tale opus saepe sit impossibile pauperibus: nam, etiam dato quod non possint stipem erogare, adhuc talis impotentia est per accidens; sicuti per accidens est, quod aegrotus non possit ieiunare ad Iubilaeum lucrandum: unde sicut aegroto commutanda sunt a confessario ieiunia, ut possit esse particeps Iubilaei,

ita pauperibns commutanda est eleemosyna. Hinc sequitur, religiosos etiam teneri ad eleemosynam vel per ipsos vel per Superiores erogandam; quod etiam verum est de uxoribus, filiis familias, servis etc. Ratio universalis est, quia quando concessio facta est sub conditione, deficiente conditione, concessio habetur pro non facta. „

IV. " Quid si praelatus det ex bonis communibus eleemosynam pro omnibus subditis ipsis id ignorantibus? Respondeo quod non satisfieret, nisi saltem... id legitime scientes ratum haberent, quia dare eleemosinam est actio moralis ad quam requiritur aliqua cognitio et voluntas (Lugo l. c. sect. VII. n. 117). „

De Ieiunio.

Ieiunium in genere est abstinentia a cibo et potu et distinguitur in *naturale* et *ecclesiasticum*. *Naturale* est totalis abstinentia a quolibet cibo et potu. *Ecclesiasticum* est illud quod servatur ad normam ab Ecclesia statutam. Iamvero ieiunium ecclesiasticum tribus elementis constat: 1° *unica comestione* per 24 horas, ita tamen ut permissum sit frustulum matutinum et refectio serotina; 2° *abstinentia* a carnibus, ovis atque lacticiniis; a carnibus semper, ab ovis et lacticiniis, certo in ieiunio quadragesimali, non vero, iuxta plures DD. (S. Thom. 2. 2. q. CXLVII. a. IV. ad 5.) in aliis ieiunii diebus, nisi specialis consuetudo obstet; 3° *tempore* ad refectionem destinato, scilicet circa meridiem.

QUAERITUR a DD. an ad adimplendum ieiunium pro lucranda indulgentia, v. gr. Iubilaei extraordi-

narii, extra tempus quadragesimale opus sit abstinere ab ovis et lacticiniis?

Fr. Theod. (p. I. c. XI. a. 4.) postquam attulerit varias DD. sententias circa abstinentiam ab ovis et lacticiniis in ieiuniis extra quadragesimam, ad propositum dubium respondit: " Respondemus cum Azorio, lib. 7. *Inst. moral.* cap. 10., Thoma Sanchez, lib. 4. *in Decalog.* cap. 11. num. 49. ieiunium ad acquirendum Iubilaeum extra quadragesimam exactum, peragendum esse iuxta usum in unaquaque provincia servari solitum: ita ut, ubi viget consuetudo ieiunandi sicut in quadragesima cum abstinentia ab ovis et lacticiniis, urgeat pariter obligatio id observandi pro Iubilaeis extraordinariis, aliter vero si vigeat consuetudo comedendi in vigiliis ova et lacticinia. „

De Oratione.

Oratio definitur communiter — petitio decentium a Deo, et generalius, adscensus mentis ad Deum. Oratio potest esse 1° *vocalis* vel *mentalis*, prout haec petitio exprimitur verbis vel non;

2° *publica* vel *privata*. Oratio dicitur *publica* duplici sensu; *primo* vulgari significatione, " prout publicum distinguitur contra occultum et secretum, et sic dicitur publica oratio quasi accidentaliter omnis illa quae in loco publico fit, ita ut ab aliis videatur vel videri possit; „ (Suarez *de Religione*, tract. IV. lib. III. cap. 2.) et e contra dicitur *privata,* quae in occulto fit; *secundo* oratio dicitur *publica* quasi per se, quando fit a ministro Ecclesiae " deputato ad orandum nomine suo, et quod ipse minister hac in-

tentione oret ut expleat munus suum, et consequenter necesse est ut oret modo praescripto ab Ecclesia ad orandum Deum nomine ipsius; omnis autem oratio quae has conditiones non habet est privata (Suarez l. c. n. 2). Orationes publicae sunt primario Officium divinum, Missa ac ceterae orationes quae continentur in libris liturgicis, et secundario ceterae orationes quae praescribuntur ab auctoritate ecclesiastica, uti novendiales, supplicationes etc. etc. S. Thomas orationem publicam *communem*, privatam *singularem* appellat (S. Th. 2. 2 q. 83. 12.).

3° Oratio privata tandem distingui potest in eam quae *seorsim* fit, et in eam quae fit *in communi*, quando scilicet duo vel plures fideles conveniunt ad aliquam precem una simul dicendam: quae distinctio non inutilis est, aliquando enim conceduntur indulgentiae pro precibus in communi dictis, ut v. gr. pro Rosario. (D. 384. 22 Ian. 1858).

Antequam loquamur de conditionibus requisitis pro oratione quatenus praescripta ad lucrandam indulgentiam, dicendum est de conditionibus necessariis ad habendam orationis essentiam.

Conditiones pro oratione vocali, de qua hic potissimum sermo est, sunt ex parte actus exterioris, *prolatio verborum;* ex parte vero actus interioris, 1° *intentio,* seu propositum orandi, verba enim proferri possunt ad alium finem: sufficit autem intentio virtualis: 2° *attentio*. Attentio est applicatio mentis ad aliquid. Attentio autem relate ad orationem vocalem triplex a DD. distinguitur, *superficialis, litteralis* et *spiritualis,* quae ita a S. Thoma (2. 2. q. 83. a. XIII. 0.) describuntur: " Una quidem qua attenditur ad verba,

ne aliquis in eis erret *(superficialis);* secunda qua attenditur ad sensum verborum *(litteralis);* tertia qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum et ad rem pro qua oratur *(spiritualis).* „ Iamvero quaecumque ex dictis attentionibus sufficit: quia cum quacumque illarum attentionum actus est humanus. Quando vero distractiones vel culpabilem vel nullam reddant orationem vide penes Moralistas. (S. Alph. *Theol. mor.* lib. IV. c. II. dub. II. art. IV. n. 176).

Sic breviter expositis conditionibus necessariis ad orationis essentiam habendam, nunc dicendum de conditionibus requisitis pro oratione iniuncta ut pium opus ad indulgentiarum lucrationem. Sunt autem sequentes.

1° Quando preces praescribuntur, *orationi mentali aliqua semper adiungatur oratio vocalis* ex Decreto S. I. C. die 13 Septenbris 1888. (*Acta S. Sedis,* XXI. pag. 192).

2° *Preces recitandae sunt ad uniuscuiusque fidelis libitum, nisi peculiariter adsignentur.* (D. 291. 20 Maii 1841).

3° Quando vero adsignatae sunt, *quocumque idiomate recitari possunt* (D. 415. 29 Decemb. 1864). Excipitur Officium parvum B. M. V. quod recitandum est lingua latina; (D. S. I. C. die 13 Sept. 1888 rel. ab *Acta S. Sedis* XXI. 91 [1]) agitur enim de prece li-

[1]) Le petit office de la sainte Vierge est expressément excepté de la règle générale qui permet de réciter en toute langue les prières enrichies d'Indulgences. On avait demandé " si, pour gagner les Indulgences, il était indifférent de le réciter en latin ou dans la langue maternelle? „ — La S. Congrégation, en date du 6 mai 1887, répondit: " Non,...

thurgica, quae etiam recitari potest pro lucratione indulgentiarum iuxta ritum cuiusque proprium, dummodo a S. R. C. approbatum (*Ephemerides lithurgicae*, vol. III. pag. 639).

4° Quando preces praescribuntur iuxta consuetos fines, intelligitur *ordinarie* quod *preces fundi debeant pro catholicae religionis incremento, S. Matris Ecclesiae exaltatione, peccatorum conversione, principum christianorum concordia, haeresum extirpatione.* (*Raccolta* pag. XXIV). Tamen *non requiritur intentio*

ce petit office doit être dit en latin. „ (Voyez *Nouvelle Revue théol.*, XX, 136). La même décision a été donnée de nouveau par la S. Congreg. le 13 sept. 1888 (*Acta S. Sed.*, XXI, 191). Cette réponse s'applique incontestablement à d'autres offices contenus dans le bréviaire romain et enrichis d'Indulgences, p. ex. à l'office des morts (voyez deuxième partie, sect. I.). Au contraire, elle ne doit s'appliquer en aucune façon à certaines courtes prières empruntées au bréviaire ou au missel, telles que le *Veni Creator Spiritus*, le *Pange Lingua*, le *Magnificat*, et d'autres semblables, dont les fidèles font déjà un fréquent usage dans les différentes langues, et qui, par conséquent, ne doivent plus être regardées uniquement comme prières liturgiques dans le sens strict du mot; car autrement un très grand nombre des prières enrichies d'Indulgences contenues dans la *Raccolta* deviendraient inutiles pour la plupart des fidèles.

Donc, à moins que le contraire n'ait été expressément déclaré par rapport à quelque hymne ou prose en particulier, il faut appliquer à ces prières ce qui a été dit plus haut, et ce qu'affirme clairement le décret déjà cité du 30 sept. 1852 (*Décret auth.*, n° 361) à savoir: " que toutes ces prières, contenues dans la treizième édition et les éditions suivantes de la *Raccolta*, peuvent être récitées en quelque langue que ce soit, sans détriment pour les Indulgences, pourvu qu'elles aient été traduites fidèlement. „ (Beringer l. c. pag. 103.)

explicita, expressa singulis vicibus. (D. 344. 12 Iulii 1847).

5° Preces nequeunt esse alias obligatoriae (vid. sup. pag. 49).

6° *Preces* recitari possunt *alternatim cum socio* (D. 249. 29 Feb. 1820).

7° Non est necesse ut preces recitentur flexis genibus, *nisi aliter praescriptum sit in documento concessionis* (D. 398. 18 Septemb. 1862).

8° Ad lucrandas plures indulgentias, pro quibus praescriptae sunt preces, *necesse est preces repetere quot sunt indulgentiae lucrandae* (*Raccolta* pag. xxv).

9° Si vero agatur de precibus publicis, preces in primis sunt recitandae a legitima auctoritate iniunctae et quidem iuxta *modum* et *formam* praescriptam, habito etiam respectu ad *varios usus* et locorum *consuetudines* quoad earumdem precum recitationem. Quare si usus ferat quod preces, ex. gr. *Tantum ergo, Litaniae,* a cantoribus integrae cantentur, sufficit ut fidelis devote intersit functioni, quin eas preces privatim recitare teneatur ad lucrifaciendas indulgentias *integro* pio exercitio adnexas. Item qui piis functionibus inserviunt et ratione officii nequeunt vel preces integras recitare vel etiam integro pio exercitio adsistere, non videntur teneri repetere preces iniunctas, neque indulgentias amittere eo quod partialiter tantum interfuerint functionibus.

Exceptiones pro surdo-mutis.

Per Decr. *Urbis* et *Orbis* S. I. C. 15 Mart. 1852 (D. 355) sequentia statuta fuere favore surdorum mutorum:

" 1° Quod si inter opera pro lucranda indulgentia praescripta sit visitatio alicuius ecclesiae, surdomuti ecclesiam ipsam devote visitare teneantur, licet mentem tantum in Deum elevent, et pios affectus. 2° Quod si inter opera sint publicae preces, surdomuti possint lucrari indulgentias iis adnexas corpore quidem coniuncti ceteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata et piis cordis affectibus. 3° Quod si agatur tantum de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire iudicaverint. „

De visitatione Ecclesiae vel Altaris.

In concessionibus indulgentiarum saepe praescribitur visitatio alicuius Ecclesiae vel Altaris. Quare inquirendum 1° est quid veniat nomine *Ecclesiae* vel *Altaris* et 2° quaenam sint *normae* servandae ad lucrandam indulgentiam per visitationem Ecclesiae vel Altaris.

Ecclesia est " aedes publica cultui divino deputata, in qua fideles ad honorandum et invocandum Deum, divina administranda et percipienda sacramenta, Missaeque sacrificium offerendum etc. conveniunt „ (Reiffenstuel lib. III. *Decret.* tit. XLVIII. 2). Ecclesia multipliciter dividitur " aliquae enim dicuntur Basilicae, aliae Cathedrales, aliae Collegiatae, aliae Baptismales, aliae Parochiales, aliae Matrices, aliae Filiales, aliae Regulares, aliae Saeculares „ (Reiffenstuel, l. c. n. 3.)

Oratorium in genere est " locus aptus ad orandum, precesque Deo offerendas.... Oratorium pro Missis celebrandis aliud est *publicum* et aliud est *privatum*. Oratorium *publicum*, quod etiam appellatur *Capella publica*, est illud quod auctoritate Episcopi est erectum, et ad Dei cultum tantummodo perpetuo dicatum, habens aditum et liberum ingressum per viam publicam... *Privatum* quod intra domesticas parietes... ex concessione Sedis Apostolicae sub certis clausulis... est ad id, ad tempus destinatum „ (Ferraris v. *Oratorium*).

Altare duplici sensu sumi potest; vel enim sumitur pro mensa super quam conficitur et offertur Eucharistiae sacramentum et sacrificium, vel sumitur latius ut intelligatur integrum Sacellum vel Capella. Iamvero hic sumitur hoc sensu; de altari primo sensu sumpto, occurret sermo in parte secunda, ubi de altari privilegiato [1]).

His praemissis, sequentes sunt normae servandae

[1]) Si quis desiderat ampliorem notitiam circa notionem Ecclesiae et Oratorii atque differentias, quae inter easdem intercedunt, consulere potest *Commentarius Theologico-Canonico-Criticus, de Ecclesiis....* auctore Iosepho Aloysio Assemani: Accesserunt *Tractatus cl. virorum*, D Iosephi de Bonis, *de Oratoriis publicis* ac R. P. Fortunati de Brixia, *de Oratoriis domesticis*,... Romae MDCCLXVI ex typographia Francisci Bizzarini Komarek. — *De Oratoriis domesticis et de usu altaris portatilis,* auctore P. O. Iohanne Baptista Gattico Novarensi, Canonico Regulari Lateranensi et Abbate. Editio secunda emendatior... Romae MDCCLXX ex Typographia Pauli Turchi.... — *De Oratoriis publicis et privatis,* auctore A. C. M. Van Gamaren Presb. Antuerpien. in Lovan. Univer. Cathol. ss. Can. Doct. Lovanii excudebant Valinthout et Socii Universitatis tipographi 1861.

ad lucrandas indulgentias per visitationem Ecclesiae vel Altaris.

1° Quando pro lucranda indulgentia iniuncta est visitatio alicuius determinatae Ecclesiae, v. gr. Ecclesiae parochialis, visitatio fieri debet ad eam determinatam Ecclesiam, nisi legitime facta fuerit commutatio (*Raccolta* pag. XXI.)

2° Si Ecclesia praescripta non fuerit, visitatio fieri potest in quacumque Ecclesia aut publico Oratorio (*Raccolta*, l. c.)

3° Publicum censendum non est Oratorium sive in monasteriis sive in seminariis aut aliis conventibus canonice dedicatum, ad quod tamen christiana plebs publice non solet accedere (D. 310. 22 Aug. 1842).

" Non obstante hoc decreto (observat *Tract. de Indulg. ad usum Sem. Arch. Mechlin.* pag. 39) iuxta Craisson, n. 4588, Müller, § 176, aliosque, religiosi in conventu, seminaristae in oratorio seminarii, senes et infirmi in oratorio hospitalis indulgentias lucrari possunt, cum, iuxta ipsos, praefatum decretum tantum intelligendum sit de aliis fidelibus. At iis non assentitur Collomb, qui, p. 19, asserit ad hunc effectum requiri pro personis in illis communitatibus degentibus indultum speciale; neque etiam Maurel, qui, p. 106, animadvertit huiusmodi indultum facile concedi, cum Summus Pontifex minime intendat eas personas privare indulgentiis fidelibus concessis. Cum his autem esse sentiendum, ita ut *in casibus particularibus* sit recurrendum, deduci potest ex decreto 16 Ianuar. 1886 ad 1.^{um} Cum enim pro *generali* indulto obtinendo fuisset postulatum " *ut conditio visitandi ecclesiam pro lucrandis indulgentiis generice saepe*

praescripta, *adimpleri possit a personis utriusque sexus in communitate et sub regula viventibus, visitando oratorium domesticum.* „ S. C. Indulg. respondit: *Non expedire.* Cfr. *Nouv. Rev. théol.* tom. 18, p. 339 sqq. Igitur indulgentiae pro quibus praescribitur visitatio ecclesiae vel oratorii publici, a nemine lucrifieri possunt visitando oratoria non stricte publica, nisi habeatur speciale indultum. Cfr. Beringer, p. 77 sq. „

4° Licet " ecclesiae, capellae et oratoria publica *nondum benedicta nec consecrata* capacia sint indulgentiarum, sed iisdem de stylo non concedi solent. „ (D. 162. 20 Martii 1747). Per *profanationem* autem Ecclesiae non amittuntur indulgentiae (D. 396. 18 Septemb. 1862).

5° Visitatio Ecclesiae impleri potest " sive ante sive post aliorum piorum operum implementum „ (D. 214. 19 Maii 1759; *Raccolta* pag. XXII; vid. s. pag. 52).

6° Quando visitatio Ecclesiae requiritur pro pluribus indulgentiis lucrandis, visitanda est Ecclesia vel publicum oratorium totidem vicibus, quot sunt indulgentiae lucrifaciendae (D. 397. 27 Febr. 1864).

7° Quare si quis vult in eadem Ecclesia visitationes exsequi, debet post quamlibet visitationem egredi et denuo in eam ingredi (D. 399. 29 Februar. 1864).

8° " Si praescribitur tantum visitatio templi, et illud ingredi *non possis,* satisfacis orando ad ostium;... imo si per *concursum* nequidem ad ostium liceret pertingere, putant aliqui satis esse orare in coeme-

terio, quia hoc in favorabilibus venit nomine templi „ (La Croix Th. Mor. lib. VI. p. 2: q. 204).

9° Quoad vero *modum* implendi visitationem requiritur ut fiat devote: ita autem hoc explicatur a Viva (l. c. q. VIII. a. V, III.)

" Dubitatur qualis devotio requiratur in visitatione Ecclesiae. Suppono devotionem requisitam consistere in eo, quod visitatio ordinata sit in cultum Dei. Ita Suarez disp. 52. *de Poenitentia* sect. 2. Devotio enim ex D. Thom. 2. 2. qu. 182. art. 1. non est aliud, quam voluntas tradendi se ad ea, quae ad Dei famulatum spectant; seu faciendi ea, quae spectant ad Dei obsequium. Cum ergo in visitatione Ecclesiae requiratur devotio, dicendum requiri tantum, quod ea visitatio proveniat a voluntate faciendi ea, quae ad Dei famulatum et cultum pertinent. Hinc sequitur primo, quod si quis iocans ad Ecclesiam pergeret, visitaret tamen deinde cum hac devotione, adhuc indulgentiam lucraretur: quia devotio non requiritur in itinere, sed in Ecclesia. Sequitur secundo, quod si quis ad Ecclesiam accederet ob finem non pertinentem ad Dei cultum, puta ob curiositatem, deferret tamen postea Deo cultum, genuflectendo, aut alium actum reverentiae exercendo, ac orando, adhuc indulgentiam lucraretur, quia finis ille non impediret devotionem debitam, quae consistit in illo reverenti ingressu et delatione cultus provenientis a religiosa voluntate. „

10° Quoad visitationem *Altarium* haec habet Lugo (l. c. sect. VI. n. 93.) " Non sufficit extra portam illa visitare... quia licet ille dicatur moraliter visitare Ecclesiam, non tamen dicitur moraliter visitare hoc vel illud Altare. An vero ad visitanda Altaria requiratur

motus corporis, quod aliquis singula seorsim adeat, affirmavit Rodriguez, negarunt Vega.... Quod verum credo, si in eo loco et situ sis, in quo moraliter censeri potest te orare ad quodlibet ex illis altaribus. Unde non sufficit esse intra Ecclesiam et animo convertere ad tale altare, imo etiam si sis in loco apto, ut in medio Ecclesiae; vellem tamen aliquo gestu vel conversione capitis vel corporis significari conversionem animi ad singula Altaria, nam exigitur visitatio *sensibilis,* hoc est, talis actio, quae exterius significet orationem fieri ad tale Altare. „

Quaestio fit I. an in *itinere* ad Ecclesiam requiratur ut *modeste* incedatur et aliquis religionis actus exerceatur.

Ratio dubitandi oritur ex iis quae habet Benedictus XIV in Constit. *Inter praeteritos* § 76: " Ad iniunctum igitur visitationum opus adimplendum necesse est ut visitatio fiat consilio atque animo exhibendi honorem Deo aut Sanctis eius: ut tam in itinere, quod ad Basilicas habetur, quam in easdem ingrediendo, modeste incedatur, atque in hisce aliquis religionis actus exerceatur. „ Communiter respondetur negative (La Croix, loc. cit.), neque inter *Regulas* in Iubilaeo servandas, excerptas ex variis Constitutionibus Benedicti XIV et in Appendice ad *Decreta authentica* relatas ullimode continetur hoc quod dicit Benedictus XIV. Quare sumenda sunt ut dicta ad modum consilii; et optime, qui enim plus facit et devotius agit, is reatum cuiuslibet vel minimae culpae facilius abolebit et sic certior erit effectus indulgentiae (v. s. pag. 39).

II. An adeundo Ecclesiam ad Missam de prae-

cepto audiendam quis satisfacere possit visitationi praescriptae ad indulgentiam lucrandam.

Distinguendum videtur; vel enim agitur de indulgentia adnexa alicui Ecclesiae, ut puta indulgentia *Portiunculae,* et respondendum esse videtur affirmative, est enim privilegium concessum visitantibus Ecclesiam, nulla omnino facta limitatione; vel agitur de lucranda indulgentia pro qua est praescripta visitatio alicuius Ecclesiae in genere: et etiam in hoc casu affirmative respondendum videtur cum Minderer (*de Indulgentiis in genere et in specie* Conf. IX. § II. 669). " Quia praeceptum tantum est audiendi Sacrum die festivo, accessus autem ad Ecclesiam, et ipsa visitatio devota, ac oratio sunt supererogatoria et sic per ea satisfecit.... quia uterque actus decenter et honeste fieri potest nec sunt incompatibiles; Sacrum enim audire praeceptum est, sed actus ordinati ad cultum Dei et Sanctorum sub libera stant voluntate, nec incompossibiles sunt aeque parum, ac sub Sacro obligato recitare Breviarium. Ob id tamen nolim praeiudicare zelo, quo quis iterato visitaret Ecclesiam, cum tantus Thesaurus tam munifice dispensatus dignus sit, ut propter eum sola devota visitatio instituatur, si fieri possit ad cultum Deo et eius Sanctis in tali Ecclesia exhibendum. De quo iterum redibit de Iubilaeo Confer. 4. cas. 3. „ Iamvero hoc secundo loco eamdem repetit sententiam, quam omnino *tutam* esse declarat. Et sane in praecepto audiendi Sacrum illud quod est essentiale est solum assistentia Sacrificio Missae, quod celebrari potest etiam sub diu. Unde istae duae actiones non solum possunt distingui, sed etiam separari: potest enim quis in die festo audire Missam

quin visitet Ecclesiam; et e contra potest quis visitare Ecclesiam quin assistat Sacrificio Missae, etsi dum est in Ecclesia Missa celebretur; ut puta si in die, in quo non sit magnus populi concursus, sistat in Basilica Vaticana ad altare Pietatis, dum Missa celebratur ad altare Columnae.

CAPUT VI.

De Suspensione, Translatione ac Cessatione.

Art. I.

DE SUSPENSIONE.

Suspensio locum habet cum, perseverante concessionis vigore, suspenditur eiusdem effectus, quousque non cessat causa suspensionis.

Causa suspensionis potest esse *intrinseca* vel *extrinseca*. Intrinseca est ea quae exurgit ex ipsa natura rei; sic suspensae remanent indulgentiae *Viae Crucis*, si cruces removeantur de loco, v. gr. ad parietem dealbandam, ut iterum in eodem loco collocentur. *Extrinseca* est ea quae dependet ex voluntate concedentis. Exemplum suspensionis ex causa extrinseca habetur in celebri suspensione omnium indulgentiarum tempore anni sancti.

Art. II.

DE TRANSLATIONE.

Translatio respicere potest vel *locum* vel *tempus*.

Translatio quoad *locum* verificatur tunc cum indulgentia alicui loco adnexa ad alium transfertur

ita, ut in priori loco amplius lucrifieri non possit. Haec, ut patet, verificari nequit nisi in indulgentiis *localibus;* personales enim et reales praescindunt a loco; neque pariter generatim in stricte localibus, quando indulgentiae concessae sunt intuitu et *favore* ipsius loci, ut puta indulgentiae concessae celebri Lauretano Sanctuario, difficile enim supponi potest translatio loci; saepe vero verificatur in stricte localibus quando indulgentiae adnexae sunt alicui loco sed non intuitu et favore loci ipsius, ut puta indulgentia Portiunculae concessa ex Indulto Pontificio alicui Ecclesiae, quae non pertineat ad Franciscanos, ratione commoditatis populi; in hoc enim casu facile conceditur translatio, at semper novo Indulto, ad aliam Ecclesiam, si haec magis commodior sit: et adhuc saepius verificatur in late localibus, seu mixtis, indulgentiae enim, sicut ceteri favores, sequuntur communitatem quae detinet locum. Sic ecclesia, regularibus v. gr. ex aliquo facto expulsis, amittit indulgentias, quae tamen, iisdem redeuntibus, ipso facto reviviscunt. Neque necessarius est iuridicus proprietatis titulus ut Regularis familia sua praesentia indulgentias communicet; sed sufficit ut Religiosi usum Ecclesiae habeant; requiritur tamen ut Religiosi penes Ecclesiam resideant, et ministeria propria ibi obeant, ac praeterea quod Ecclesia sit publica et usus ex legitima concessione proveniens *sit constans ac plenus* (D. 424. 18 Aug. 1868 ; cfr. *Acta S. Sedis* vol. IV. pag. 328.)

Translatio quoad *tempus* locum habet quando indulgentia concessa pro aliquo tempore ad aliud transfertur.

Haec locum habet praesertim in indulgentiis concessis pro aliquo Festo, quod accidit transferri. Iam vero translatio Festi fieri potest vel solum quoad Officium et Missam, vel solum quoad extrinsecam solemnitatem, vel quoad utrumque; item fieri potest per accidens vel in perpetuum. Atqui ex Decreto (D. 360. 9 Aug. 1882) regula generalis est ut indulgentia transferatur quoties transfertur sive per accidens sive in perpetuum solemnitas externa, etsi non transferatur Officium et Missa: quoad vero ea Festa quae sine populi solemnitate et publica functione peragi solent; si perpetuo transferantur, cum festo transfertur indulgentia, etsi translatio sit solum pro certa Dioecesi, vel certa Ordinis religiosi provincia; si translatio Festi fit solum per accidens, indulgentia manet diei affixa.

In iisdem tamen Decretis cautum est ut nonnisi unica vice a fidelibus lucrari possit indulgentia tali Festo adnexa; sic si quis postquam Romae lucraverit indulgentiam alicui Festo adnexam, et postea pergat in alium locum, ubi contingat idem Festum celebrari, non poterit lucrari indulgentias eidem Festo adnexas.

Art. III.

DE CESSATIONE SEU EXTINCTIONE.

Indulgentiae cessare possunt sive *ex parte concedentis,* sive *ex parte subiecti*, sive *ex parte causae,* sive *ex parte rei seu loci.*

Ex parte *concedentis:*

1° per *expirationem termini* in concessione praescripti;

2° per *mortem concedentis;* quando in concessione adiecta fuerit clausula ad *beneplacitum meum,* vel alia similis; non vero si agatur v. gr. de R. P., quando adiecta fuerit clausula ad *beneplacitum R. P.* vel *Apostolicae Sedis;* haec enim verba non referuntur ad personam, sed ad supremam R. P. dignitatem quae semper perdurat. Quod si supradicta clausula apposita non fuerit, indulgentiae perdurant etiam post mortem concedentis;

3° per *revocationem*, qua omnis vis adimitur priori concessioni. Celebris est revocatio indulgentiarum facta a Paulo V, de qua in secunda parte.

Ex parte *subiecti:*

per *mortem* personae, sive per *extinctionem* Collegii quibus concessae fuerunt. Quoad primam casum nulla difficultas. Quoad alterum attendi debet quanam ex causa Collegium (uti sodalitates, congregationes etc.) fuerit extinctum. Etenim si id evenerit ex parte legitimae auctoritatis quae ob factum inconveniens existimaverit Collegium esse supprimendum eo ipso concidunt favores ipsi collati ac proinde etiam indulgentiae: aliter forte dicendum si Collegium cessaverit vel eo quod membra illud componentia paulatim defuerint, vel quia illegitima auctoritas praepotenti vi illud supprimere mandaverit: in hoc secundo casu minime cessant indulgentiae aliique favores ipsi tributi, ac proinde si contingat Collegium in posterum reviviscere, neque nova indiget indulgentiarum concessione, imo neque confirmatione, excepto quod aliquod dubium oriatur de collatis olim indulgentiis.

Ex parte *causae motivae:*

cessante *causa motiva:* indulgentiae enim pendent essentialiter ex causa rationabili et proportionata. Sicut ergo, ea non existente, ab initio, nullae sunt, sic, ea tractu temporis cessante, cessant et ipsae indulgentiae; sic v. gr. si indulgentiae datae sint pro aliquo Concilio, Concilio ad finem perducto, indulgentiae cessant per se, quin necessarius sit actus aliquis revocationis.

Hic quaeri potest quid dicendum sit de indulgentia ad instar Iubilaei concessa a Pio IX Literis Apost. *Nemo certe*, die 11 Aprilis 1869 (Acta S. Sedis vol. IV. pag. 502) pro felici Concilii Vaticani celebratione. Cum Concilium Vaticanum ad finem perductum non fuerit, non videtur cessasse huiusmodi indulgentiam: at suspenso Concilio et ipsa indulgentia suspensa dici debet, accessorium enim sequitur principale. Quando tamen suspensio incipere debuisset, difficile est dicere; nam in Epistola encyclica *Gravibus Ecclesiae,* die 24 Decemb. 1874, qua indicitur Iubilaeum pro anno 1875, (*Acta S. Sedis* vol. VIII. pag. 181) declaratur eo tempore adhuc in sua vi, firmitate, vigore permanere: nec mirum; quousque enim spes aliqua affulget posse iterum *cito* resumi Concilium, indulgentia quae inservit ad excitandos fideles pro felici Concilii exitu suspensa dici nequit. Ceterum ipse Pius IX in eadem Epistola die 24 Decemb. 1874 ait: " Cuius Iubilaei causa et intuitu superius memoratam indulgentiam (scilicet quasi Iubilaei pro Concilio Vaticano concessam) ad beneplacitum Nostrum et huius Apostolicae Sedis, suspendentes ac suspensam declarantes. „ Porro, cum non

constet de mutato Beneplacito Apostolicae Sedis, retinendum est supradictam indulgentiam non solum ex causa intrinseca sed etiam extrinseca uti suspensam habendam esse.

Ex parte *rei* seu *loci:*

in genere cessant si obiectum sive locus *pereat* non solum *physice* sed etiam *moraliter,* scilicet ita ut in existimatione hominum non sit amplius eadem res idem locus. Unde non cessat indulgentia *a)* concessa alicui Ecclesiae si restauratur, imo si demolitur, dummodo nova Ecclesia aedificatur in eodem loco et sub eodem titulo (D. 323. 9 Augusti 1843);

b) non cessat altaris privilegium si altare ex marmore conficietur (D. 317. 24 Aprilis 1843);

c) item non cessat si de novo aedificatum fuerit in alio quidem loco, sed in eadem Ecclesia et sub eodem titulo.

In specie vero quoad indulgentias late reales loquemur in secunda parte.

PARS SECUNDA

PARS SECUNDA

DE INDULGENTIIS IN SPECIE

Quamvis nonnisi de indulgentiis magis in usu loquemur, tamen ne Lector nimis fatigetur rerum varietate, et ut memoria iuvetur, eas in varias classes distribuemus: quare *pars* haec in duas *sectiones* distribuetur, in quarum *prima* agemus de indulgentiis *generalibus*, in *altera* de *particularibus;* atque iterum indulgentias primae sectionis subdividemus in *personales*, *locales*, *reales*.

SECTIO I.

DE INDULGENTIIS GENERALIBUS.

CAPUT I.

De Indulgentiis personalibus.

Art. I.

DE INDULGENTIA BENEDICTIONIS PAPALIS.

§ 1. *De notione.*

Benedictio Papalis est Benedictio quae datur una cum adnexa indulgentia plenaria in solemnioribus

anni diebus vel circumstantiis a Romano Pontifice, vel ab alio ex eiusdem delegatione, in nomine et persona Papae. (Beringer tom. I. pag. 505).

Dixi *in nomine et persona Papae,* ut distinguatur ab aliis benedictionibus, ut puta in articulo mortis, in fine missionum, quae dici et ipsae possunt papales, sed tantummodo quia dantur ex delegatione Papae et ratione indulgentiae plenariae adnexae.

§ 2. *De conditionibus.*

Ex parte *dantis.*

Si datur a R. P., ut patet, nulla requiritur specialis conditio, si vero datur ab inferiore Eius delegatione et nomine requiritur:

1.° *Specialis facultas*, quae obtineri potest vel *a)* per *generale privilegium,* uti habent plures Ordines Regulares: vel *b)* per *speciale privilegium,* uti conceditur gratis statim ac postulatur a) vi Litterarum Apostolicarum Clementis XIII *Inexhaustum indulgentiarum thesaurum,* tertio nonas Sept. an. 1762, *Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis* duabus anni solemnitatibus, nimirum Paschate Resurrectionis Domini, alioque die festo solemni eorum respective arbitrio designando, et *Praelatis inferioribus* mitrae et pontificalium usum territoriumque separatum cum vera qualitate *Nullius* dioecesis habentibus, et activa in clerum et populum iurisdictione gaudentibus, et in propriis territoriis degentibus, semel in anno in uno ex diebus, quibus eorum singulis permittitur pontificalium usus; vel b) quocumque alio modo placuerit R. P., qui aliquando eam con-

cedere solet etiam vivae vocis oraculo, uti modo, saepe accidit occasione peregrinationum ad hanc almam Urbem.

2° Ut servetur *ritus et formula praescripta.* Non unicus est ritus et formula.

Pro *Episcopis* ac ceteris omnibus qui hanc facultatem habent vi Litterarum Apost. Clementis XIII *Inexhaustum indulgentiarum thesaurum*, ritus et formula praescribitur ab ipso Clemente XIII in iisdem Litteris.

Pro *Regularibus* ritus et formula praescripti fuerunt a Benedicto XIV in Litteris encyclicis *Exemplis Praedecessorum*, 19 Martii 1748. Ex Literis Leonis XIII *Quo universi* die 7 Iulii 1882. (*Decreta Authentica* pag. 491). Regulares Benedictionem Papalem dare possunt *a)* non nisi bis in anno et *b)* sub conditione quod haec benedictio numquam detur eodem die et in eodem loco ubi Episcopus eam impertiat; ac tandem Regulares, indulto dandi Benedictionem Pontificiam statutis anni diebus " uti dumtaxat possunt in ecclesiis suorum conventuum, „ non vero " in ecclesiis monialium, tam Ordini quam Ordinario locorum subiectis „ nec " in aliis quibuscumque ecclesiis, in quibus Confraternitates dictorum Ordinum sunt erectae „ (D. 199. 4 Feb. 1754).

Pro *Ceteris* inspiciendae sunt Litterae concessionis; sic aliquando Missionariis facultas conceditur dandi benedictionem una cum indulgentia plenaria, benedicendo populum unica tantum vice cum Crucifixo; quae formula praescribitur etiam Regularibus in occasione sive missionum sive exercitiorum spiritualium. Sed in hoc casu videtur Benedictionem ap-

pellari papalem, non, ut dixi, quia datur nomine et vice Papae, sed quia datur ex delegatione Papae, ac praesertim ratione adnexae plenariae indulgentiae; quare nil mirum si etiam Regulares in ea danda nequeunt uti formula eisdem a Benedicto XIV praescripta. (Beringer tom. I. p. 309).

Quod si in concessione nihil dicatur de ritu et formula, servandum videtur esse ritum atque formulam Benedictinam. Et sane Benedictus XIV in Litteris encyclicis *Exemplis Praedecessorum*, licet intendat praescribere ritum et formulam a Regularibus servandam, tamen loquitur generatim de facultate, quam habent simplices Sacerdotes, nulla facta distinctione inter saeculares et regulares, dandi benedictionem, et postquam observaverit hanc benedictionem non impertiri nisi iure delegato, et ad eam peragendam, ut ait initio Bullae, nullum unquam ritum praescriptum fuisse, prosequitur: " Nostrum est omnino ritum praescribere, quem inferius pro norma in posterum servanda subiiciemus, quo sane uti volumus ac decernimus eos Ordines Regulares etc. " Iamvero cum in hac formula nihil omnino contineatur speciale pro Regularibus, non video cur adhiberi non debeatur etiam a Sacerdotibus saecularibus, qui hanc facultatem obtinuerint. Neque dicatur, quod si Benedictus XIV voluisset eam servandam esse etiam a clero saeculari, declarasset. At quomodo poterat loqui de clero saeculari, qui nullum habet privilegium, uti Regulares, eiusmodi Benedictionem impertiendi, et eo tempore ignotae erant concessiones quae haud raro modo fiunt Sacerdotibus Romam peregrinantibus ad obsequium praestandum Romano Pontifici?

Ex parte *suscipientis requiritur:*

1° ut *praesens* sit personae benedicenti. Ex Decreto 266. 7 Ian. 1839 habentur ut praesentes ii qui ex fenestris domus quae plateam respiciunt, in qua Episcopus solet Benedictionem papalem impertiri, benedictionem accipiunt; e contra Moniales, quae etiamsi non longe distent, tamen ut absentes ex earum localitate habentur;

2° ut quis confessus ac SS. Communione refectus fuerit;

3° tandem servandae sunt aliae conditiones, si appositae fuerint.

Art. II.

DE INDULGENTIA IN ARTICULO MORTIS.

§ 1. *De notione.*

Indulgentia in articulo mortis est — Indulgentia plenaria acquirenda in vero articulo mortis. DD. distinguunt inter articulum *verum* et *praesumptum* (Fr. Theod. p. II. c. II. § v.). Articulus *verus* est ille, post quem sequitur immediate mors; *praesumptus,* quum infirmus medicorum iudicio creditur brevi moriturus, sed vel ex causa naturali, vel ope divina ex eo periculo contra spem evadit. Iamvero iudulgentia acquiritur in articulo *vero* seu in extremo vitae momento (D. 9. 23 April. 1675).

§ 2. *De conditionibus.*

Conditiones variae sunt pro varia *forma* qua haec indulgentia conceditur. Porro advertendum est

" duplicem posse a nobis distingui formam concedendi (indulgentiam in articulo mortis) unam continentem indulgentiam *ferendam* aliam *latam* ad eum modum quo in excommunicatione distingui solet.... nam aliquando concedit Papa, v. gr. alicui ut, cum venerit ad articulum mortis, possit a Confessore absolvi, non solum a culpa sed etiam ab omni poena; et tunc ex vi illius concessionis Ipse *immediate* non absolvit sed concedit alteri ut absolvere possit, ut ex ipsa forma concessionis manifestum est: ergo recte dicitur talis indulgentia *ferenda*.... aliquando vero concedit Pontifex indulgentiam plenariam alicui eo ipso quod in gratia et omnibus culpis remissis moriatur; et haec est indulgentia *lata* (Suarez in *3. p. S. Thomae,* disp. LVI. sect. I.)

CONDITIONES PRO INDULG. IN ART. MORTIS FERENDA.

Conditiones, aliae respiciunt *concedentem,* aliae vero *suscipientem.*

Ex parte *concedentis* requiritur:

1° *Facultas,* quae ex variis titulis obtineri potest, quorum ordinarii sunt *Privilegia* propria Ordinum Regularium, et Bulla *Pia Mater* Benedicti XIV. Omissis privilegiis Ordinum Regularium, quae iisdem optime nota sunt, aliquid dicendum est de facultatibus ex Bulla *Pia Mater.* Iamvero in hac statuitur ut omnibus *Episcopis postulantibus* concedatur gratis ad omne tempus, quo adeptum semel Ecclesiae regimen obtinebunt facultas dandi Benedictionem in *articulo mortis*, adiecta facultate *subdelegandi* unum vel plures Sacerdotes saeculares aut regulares, quotquot pro

numero animarum necessarios esse prudenter iudicaverint, ad dandam eamdem Benedictionem suis dioecesanis. Eadem facultas conceditur etiam *Praelatis inferioribus* territorium separatum habentibus cum vera qualitate *Nullius* et activa in clerum et populum iurisdictione. Relate ad facultatem subdelegandi advertendum est *a)* quod pro *monialibus* delegari debet earum *confessarius ordinarius*. Nomine autem monialium videntur intelligi etiam Sorores quae vota emittentes simplicia non habent clausuram, dummodo et ipsae confessarium habeant ordinarium (*Rescr. aut.* n. 408). *b)* Consultius est ut subdelegatio non fiat modo generali sed singulis et quidem in scriptis (D. 440. 28 Nov. 1878).

2° *Formula praescripta.* Formula est ea quae praescripta fuit a Bened. XIV in Bulla *Pia Mater*. Relate ad quam observandum est *a)* quod haec formula requiritur ad validitatem (D. 286. 5 Feb. 1841); *b)* eadem omnes indiscriminatim uti debent, etiam Regulares etsi facultatem non habuerint ex Bulla *Pia Mater* (D. 444. 22 Martii 1879), sed ex privilegiis respectivi Ordinis propriis; facta tantum facultate Regularibus addendi in *Confiteor* nomen respectivi fundatoris; *c)* Ex Decreto S. I. C. die 10 Iunii 1886, tolerari potest praxis dandi Benedictionem pluribus moribundis simul, dicendo in plurali monita praemittenda et preces designatas, ipsam vero benedictionis formulam quae incipit *Dominus N. Iesus Christus* usque ad verba *Spiritus Sancti. Amen,* singulariter singulis praenuntiando.

3. Ut *unica vice* in eodem morbi statu conferatur; scilicet permanente eadem infirmitate etsi diu-

turna. Inutilis est enim repetere Benedictionem, cum prima suum effectum non exerat nisi in ipso articulo. Quod si infirmus convaluerit ac deinde quacumque ex causa in novum mortis periculum redeat, potest eidem denuo conferri (D. 263. 24 Sept. 1838).

4° Nec licet eam iterare etsi infirmus relapsus sit in peccatum (D. 257. 20 Iunii 1837). Status enim gratiae requiritur pro momento quando lucranda est indulgentia, scilicet pro articulo mortis.

Non obstante Dec. 263. ac D. 286. 5 Feb. 1841 et D. 362. 12 Mart. 1855 non videtur reprobari posse infirmum, qui ius habet recipiendi benedictionem in *articulo mortis* ex pluribus titulis, quatenus v. gr. adscriptus pluribus Confraternitatibus, si eam postulet sibi dandam ex his variis titulis, non ex intentione pluries lucrifaciendi indulgentiam, quod contrarium esset supradictis Decretis, sed ad securiorem reddendum effectum, si puta aliquis titulus quavis ex causa nullus esset; ceterum haec multiplicata benedictio etsi nihil conferret ad indulgentiam, maxime vero conferret ad excitandos pios affectus, et proinde ad procurandam *dispositionem,* sine qua inutilis evaderet indulgentiae largitio.

Ex parte *infirmi* requiritur:

1° ut sit in periculo mortis, licet non imminenti (cf. D. S. I. C. 19 Dec. 1885 in *Acta S. Sedis* XIII. 414);

2° ut non sit excommunicatus, impoenitens et in manifesto peccato mortali (Bulla *Pia Mater*); concedi tamen potest tum valide tum licite iis, qui etiam culpabiliter non fuerunt ab incoepto morbo Sacramentis refecti, subitoque vergunt ad interitum (Decret. 237. 23 Sept. 1775);

3° ut " Deo sese paratum offerat ad ultra acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum quas peccando promeruit „ Bulla *Pia Mater;*

4° ut quamdiu aegrotus suae mentis est compos invocet saltem mente SS. Nomen Iesu, prout praescribitur in Brevibus ad Episcopos de hac Benedictione missis (D. 237. 23 Sept. 1775);

5° ut sit in statu gratiae dum supremum exhalat spiritum.

CONDITIONES PRO INDULG. IN ART. MORTIS LATA.

Indulgentia in articulo mortis quae ab ipso R. P. *immediate* conceditur quaeque proinde *lata* optime dicitur, duplici modo conceditur; vel enim conceditur lege aliqua generali ac proinde a *iure* dici potest, vel conceditur ad alicuius postulationem pro casu aliquo particulari et *ab homine* vocari licet. Sunt a *iure* v. gr. concessio facta a Paulo V in Const. *Romanus Pontifex* die 23 Maii 1606 favore Religiosorum; sicut etiam concessio facta omnibus qui detinent obiectum aliquod cui adnexae sunt *indulgentiae Apostolicae;* et multae aliae huius indulgentiae in articulo mortis concessiones, quae legi possunt in *Raccolta* vel in Summariis Indulgentiarum Confraternitatum quae referuntur in *Rescripta authentica.* Iamvero conditiones necessariae ad lucrandam indulgentiam in articulo mortis hoc modo concessam, inspiciendae sunt in ipso *tenore concessionis.*

Sunt vero *ab homine* concessiones quae favore alicuius personae vel familiae passim fiunt a R. P.

sive *rescripto* sive etiam *vivae vocis oraculo,* ut saepe modo evenit, cum v. gr. benedictio cum indulgentia in *articulo mortis* pro moribundo postulatur atque transmittitur mediante telegrapho. Atqui pro hoc modo, si praescribantur conditiones, servandae sunt, si vero nullae sunt conditiones praescriptae, licet ex D. 9. 23 Aprilis 1675 videretur nil esse servandum, tamen attenta praxi universali et constanti RR. PP. videtur etiam in hoc casu, praesertim si indulgentia concedatur in *forma Ecclesiae consueta*, servandam esse conditionem invocationis SS. Nominis Iesu si *non ore* saltem *mentaliter,* dummodo, cum indulgentia conceditur, moribundus sit compos sui.

Maurel (*Le chrétien éclairé,* n. 97) de indulgentia in *articulo mortis* " que Notre S. Père le Pape accorde souvent, ou de vive voix ou par un Rescrit particulier „ haec habet: " On peut se l'appliquer soi même, aux mêmes conditions. Cependant S. S. Pie IX désire, si la chose peut se faire que l'on prie son confesseur ou un autre prêtre de nous l'appliquer, en récitant la formule du Rituel. „ Haec, quae forsan in praxim deduci poterant tempore Pii IX s. m. non possunt sumi tamquam *regula generalis.* Aliud enim est concedere indulgentiam in *articulo mortis,* aliud vero est facultatem dare eam concedendi. Atqui quando Pontifex concedit indulgentiam in *articulo mortis,* ipse est qui concedit, et fideli, qui statim acquirit ius eam lucrandi, nihil aliud superest quam exsequi conditiones, si quae sunt, et dispositum esse tunc cum indulgentia, quae applicata fuit statim ac fuit concessa, lucranda est, scilicet in *articulo mortis.*

Art. III.

DE INDULGENTIA IUBILAEI.

§ 1. *De notione ac divisione.*

Indulgentia *Iubilaei* est — Indulgentia *plenaria* quae nihil differt ab aliis indulgentiis plenariis, nisi quod adnexos habet *speciales favores.*

Iubilaeum dicitur *primario* de indulgentia et favoribus adnexis, *secundario* de tempore. Sub qua usurpatione definiri potest — Certum quoddam tempus quo efficacius excitantur fideles, proposita plenaria indulgentia aliisque spiritualibus favoribus, ad redimenda peccata et ad salvandas animas per iniuncta opera poenalia ac praesertim Confessionem et Communionem.

Iubilaeum distinguitur 1° in *ordinarium* seu maius et *extraordinarium* seu minus. *Ordinarium* est illud quod recurrit quolibet vigesimo quinto anno, et celebratur primo Romae per integrum annum, et deinde in aliis Orbis partibus per sex menses. *Extraordinarium* est illud quod indicitur a R. P. propter gravem aliquam causam ad certum aliquod tempus plus minusve longum. Extraordinarium dicitur etiam aliquando *ad instar* Iubilaei, cum nonnisi ordinarium sit per antonomasiam Iubilaeum.

2° *Generale* vel *particulare,* prout conceditur favore omnium fidelium vel particularis alicuius coetus.

Advertendum est aliquando dari indulgentias plenarias in *forma Iubilaei* vel ad *instar Iubilaei.* Huiusmodi indulgentia sub hac forma concessa om-

nino differt a Iubilaeo tum ordinario tum extraordinario, et nihil addit indulgentiae plenariae, " cum ex parte rei idem importat, quantum ad esse indulgentiae plenariae. Quod autem Pontifices similes indulgentias plenarias quandoque soleant elargiri in *forma Iubilaei* etc. eo ex motivo faciunt, ut talem locum v. gr. magis decorent, ostendantque maiorem non effectum sed affectus abundantiam, ut in Christifidelibus maius erga illas studium excitent.... Huiusmodi ergo appellationes *honorificae* non tam desumuntur ex natura rei, seu indulgentiarum, quam ex voluntate Pontificum in ratione congrua se fundantium. Vide Gobat et Holzmann. „ (Minderer Tract. *de Iubilaeo,* Conf. prima, § II. n. 18; Passerini q. 96. n. 717).

§ 2. *De regulis servandis pro Iubilaeo.*

In determinandis iis quae ad Iubilaeum spectant *regula fundamentalis* est tam pro Iubilaeo *ordinario* quam pro *extraordinario*, ut *serventur omnes regulae* a s. m. Benedicto XIV *traditae*, quibus non adversatur Bulla Iubilaei. Ita resolutum fuit per Decretum *Urbis* et *Orbis* die 16 Febr. 1852 (D. 353) a S. I. C. quae insuper in *Appendice* ad *Decreta authentica* refert excerptas ex variis Bullis Benedicti XIV huiusmodi Regulas. Quare optimum consilium ducimus has Regulas hic summatim exponere, per integrum enim in *Appendice* referemus. Cum vero in his Regulis nihil dicatur de operibus quae iniungi solent in *Iubilaeis extraordinariis*, scilicet de eleemosyna ac de ieiunio; quoad haec remittimus

lectorem ad ea quae de iisdem diximus in parte prima (pag. 59 et sqq.).

Iamvero Regulae a Benedicto XIV propositae ad duplicem classem reduci possunt, 1° ad regulas pro Iubilaeo Romae celebrando, et 2° ad regulas pro extensione Iubilaei extra *Urbem;* de quibus distinctim.

REGULAE PRO IUBILAEO ROMAE CELEBRANDO.

Aliae ex his regulis *communes* sunt omnibus, aliae vero *speciales* pro impeditis Romam venire.

1. DE REGULIS COMMUNIBUS.

Eiusmodi regulae respiciunt 1° opera exsequenda; 2° suspensionem indulgentiarum et facultatum; 3° concessionem novarum facultatum.

Opera exsequenda.

Opera exsequenda sunt *confessio, communio, visitatio Basilicarum* Beatorum Petri et Pauli, S. Ioannis Lateranensis et S. Mariae Maioris de Urbe, semel tantum in die per triginta continuos aut interpolatos dies, sive naturales, sive etiam ecclesiasticos, si agatur de romanis vel incolis Urbis; si vero de peregrinis aut alias externis per quindecim saltem huiusmodi dies; *preces* pro S. Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, catholicorum principum concordia et christiani populi salute et tranquillitate in visitatione Basilicarum fundendae.

Suspensio indulgentiarum ac facultatum.

Ut excitentur fideles ex universo Orbe Romam venire ad Iubilaeum lucrandum, praeterquamquod specialissimae conceduntur Confessariis facultates, suspenduntur ceterae indulgentiae ac facultates quae non concessa sint intuitu Iubilaei, aliquot tamen cum limitationibus.

Quoad *suspensionem indulgentiarum*

adnotandum est *a)* eam respicere universum orbem, Roma etiam comprehensa; *b)* generalem esse; ita ut non excipiantur nisi eae quae expresse exceptae sunt.

Exceptae autem sunt:

1° Indulgentia in *articulo mortis.*

2° Indulgentiae adnexae recitationi *Angelus Domini.*

3° Indulgentiae pro devote *comitantibus* SS. Eucharistiae Sacramentum dum ad infirmos defertur.

4° Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, quam Benedictus XIII concessit durante anno Iubilaei omnibus Christifidelibus tam in Urbe quam extra eam ubicumque degentibus, qui sacramentaliter confessi et sacra communione refecti, vel saltem vere contriti et cum firmo proposito confitendi, Ecclesias in quibus Augustissimum Eucharistiae Sacramentum pro oratione XL horarum eo anno durante, expositum esset, devote *visitassent,* ibique iuxta S. Matris Ecclesiae mentem orassent.

5° Indulgentiae concedi solitae a S. R. E. Cardinalibus de Latere Legatis et Apostolicae Sedis

Nuntiis, ac Episcopis in usu seu exercitio Pontificalium aut impartiendo Benedictionem aliave forma consueta.

6° Indulgentiae altarium *privilegiatorum* pro fidelibus defunctis aliaeque eodem modo pro solis ipsis defunctis concessae, atque etiam aliae quaecumque indulgentiae alias pro vivis concessae, ad effectum dumtaxat ut Christifideles defunctis applicare valeant.

Quoad *suspensionem facultatum*

adnotandum *a)* eam non comprehendere *Romam,* in qua hoc maxime anno, ut ait Benedictus XIV, praestat operariorum copiam et auxilia pro expediendis poenitentibus non imminui; *b)* extra *Urbem* generalem esse ita ut suspendantur omnes facultates et indulta absolvendi a casibus reservatis, commutandi vota, dispensandi etiam super irregularitate et impedimentis quae concessae fuerunt non solum personis sed etiam Ordinibus etc.

Ab hac suspensione generali excipiuntur:

1° Facultates Tribunalis Officii Inquisitionis adversus haereticam pravitatem auctoritate Apostolica instituti, eiusque Officialium.

2° Missionariorum quae ab eodem Tribunali vel a S. C. de Propaganda Fide vel ab Officio Poenitentiariae Apostolicae concessae fuerunt.

3° Episcoporum aliorumque Superiorum Antistitum pro casibus occultis, iuxta Conc. Trid. et pro publicis, quae sive a iure communi sive ab Apostolica Sede concessae fuere.

4° Superiorum Ordinum Regularium quaecumque in Regulares sibi subditos ab Apostolica Sede tributae fuere.

Concessiones novarum facultatum.

His praenotatis quoad suspensionem, nonnulla modo praemittenda quoad facultatum concessiones et modum iisdem utendi. Itaque advertendum est: 1° has facultates non concedi indiscriminatim omnibus confessariis sed tantummodo *a)* iis qui designantur ab Emo Card. Poenitentiario Maiori; *b)* iis qui designantur ab Emo Card. Vicario; *c)* regularibus omnibus qui a Card. Vicario vel ipsius Vicesgerente approbati fuerint ad audiendas confessiones et per suos regulares Praelatos deputati fuerint ad excipiendas confessiones suorum religiosorum, tamen favore tantum ipsorum religiosorum. — Unica est exceptio facultatis pro dispensando a communione cum pueris nondum ad primam communionem admissis, haec enim facultas tribuitur parochis ac confessariis ipsorum puerorum; 2° hos vero omnes non posse uti facultatibus nisi *a)* in actu sacramentalis confessionis; *b)* cum iis poenitentibus qui Iubilaeum sincere et serio consequi volunt; *c)* et unica tantum vice.

Quibus praemissis, brevitatis gratia elenchum dabimus tantummodo facultatum quae conceduntur confessariis designatis ab Emo Card. Vicario ac confessariis regularibus pro confessione suorum religiosorum; relictis illis quae conceduntur Poenitentiariis, quae maiores sunt, atque legi possunt in *Appendice*.

Facultates itaque sunt sequentes:

1° Absolvendi ab omnibus censuris, etiam Summo Pontifici et Sedi Apostolicae reservatis, etiam in

Bulla *Coenae* reservatis et a sacris canonibus fulminatis (modo post Const. *Apostolicae Sedis* etiam speciali modo R. P. reservatis), dummodo tamen eiusmodi censurae non sint publicae, nec non ab omnibus peccatis etiam Apostolicae Sedi reservatis: iniunctis tamen salutaribus poenitentiis, et aliis de iure iisdem poenitentibus iniungendis. Excipitur absolutio a censuris propter haeresim formalem externam etiam occultam et absolutio complicis in peccato turpi ad normam Const. *Sacramentum Poenitentiae,* kalendis Iunii 1741.

2° Commutandi omnia et singula simplicia vota etiam iurata, etiam Sedi Apostolicae reservata, in alia pia opera. Excipiuntur tamen vota, in quibus agitur de praeiudicio tertii, ac vota poenalia seu praeservativa a peccato, nisi circumstantiae commutationem suadeant, et commutatio iudicetur eiusmodi ut non minus a peccato refrenet, quam prior voti materia.

3° Dispensandi, commutandi visitationes praedictas quatuor Basilicarum vel eas reducendo vel commutando in alia pia opera, cum exteris, qui vel ob paupertatem vel ob aliam urgentem causam in Urbe remanere non possunt, et cum civibus ac incolis romanis qui morbo vel aliquo legitimo impedimento detenti, non valent praefatas Basilicas visitare.

4° Tandem pro solis confessariis regularibus et respectu suorum religiosorum dispensandi super occulta irregularitate ob censurarum violatione incursa et dummodo occulta sit.

2. DE REGULIS SPECIALIBUS.

Eiusmodi regulae sunt pro *impeditis* Romam venire seu in genere adimplere visitationes praescriptas.

Impediti Romam venire ita ad triplicem classem a Benedicto XIV reducuntur, scilicet ad *eos* qui ob susceptum sanctioris vitae propositum certis *locorum spatiis affiguntur*, ad *captivos*, ad *infirmos*. Ad primam classem pertinent *moniales* et in genere omnes *religiosae* quae magis vel minus rigorose legibus clausurae adstringuntur, quin imo et *puellae* ac *mulieres* in *Conservatoriis* degentes; et tandem *Anachoretae* et *Eremitae*, qui scilicet " in continua, licet non omnimode perpetua, clausura et solitudine contemplativae vitae exercitiis dediti, alter ab altero seorsim degunt uti Cistercienses aliquot et Carthusiani et Eremitae Sancti Romualdi. — In secunda classe comprehenduntur omnes *captivi*, exceptis illis qui detinentur carceribus S. Inquisitionis, pro quibus separatim providetur. — In tertia classe comprehenduntur non solum qui actu *infirmi* sunt, sed etiam qui *habitualiter infirma valetudine* utuntur, atque *senes septuagenario maiores*.

Opera exsequenda.

Opera iniuncta eiusmodi impeditis sunt confessio, communio, preces iuxta intentiones supradictas; et tandem loco visitationum alia pia opera iniungenda ab iis qui facultatem habent commutandi eiusmodi opera.

Facultates.

1° Facultas commutandi opera praescripta conceditur pro illis qui Romae degunt Emo Card. Vicario eiusque Vicesgerenti exercenda sive per se ipsos sive per prudentes confessarios; pro illis qui extra Urbem degunt Episcopis vel Superioribus regularibus, si agatur de exemptis, pariter exercenda vel per se ipsos vel per prudentes confessarios.

2° Facultas vero absolvendi a censuris et peccatis reservatis, conceditur, pro omnibus impeditis, confessariis approbatis, quos sibi elegerint, qui praeterea debent etiam esse approbati pro monialibus, si agatur de monialibus.

3° Tandem facultas commutandi vota conceditur solum favore monialium ceterarumque mulierum quae in Conservatoriis degunt.

REGULAE PRO EXTENSIONE IUBILAEI.

Mos est in Iubilaeis ordinariis ut, expleto anno Iubilaei seu Sancto Romae, extendatur Iubilaeum extra Urbem. Iamvero regulae pro hac extensione dantur a Benedicto XIV in Bulla *Benedictus Deus*, die 25 Decembris 1750.

Tempus Iubilaei limitatur ad *sex menses* computandos a die publicationis Bullae in qualibet dioecesi; et lucrare possunt indulgentiam, ac frui ceteris omnibus privilegiis etiam illi qui forsan anno superiori Romam venerunt ac Iubilaeum adepti sunt; quin imo tempus sex mensium prolungatur pro na-

vigantibus et iter agentibus ita ut, post eorum reditum, Iubilaeum lucrari possunt.

Opera exsequenda.

Opera exsequenda sunt *confessio, communio, visitatio* Ecclesiae cathedralis seu maiorum aliarum trium eiusdem Civitatis aut loci, sive in illius suburbiis existentium ab Ordinariis locorum vel eorum Vicariis, aliisve de ipsorum mandato designandarum, semel saltem in die, per quindecim continuos vel interpolatos dies, sive naturales, sive etiam ecclesiasticos; et tandem *preces* in visitatione Ecclesiarum fundendae pro exaltatione S. Matris Ecclesiae etc.

Facultates.

Facultas pro dispensatione aut commutatione operum praescriptorum conceditur locorum Ordinariis exercenda sive per se sive per prudentes confessarios, et si agatur de Religiosis, etiam per eorum Superiores; ceterae vero facultates conceduntur omnibus confessariis approbatis, et quidem si agatur de Monialibus pro iisdem approbatis, quos sibi fideles sive saeculares sive regulares elegerint pro confessione peragenda.

In particulari vero adnotandum est quoad facultatem Ordinariorum:

1° dispensare posse a communione cum pueris nondum ad primam communionem admissis;

2° commutare in alia pia opera visitationes cum omnibus impeditis;

3° reducere visitationes Sodalitatibus omnibus Ecclesias processionaliter visitantibus;

4° ex Decreto *Urbis* et *Orbis* die 15 Martii 1852 (D. 353), quando in aliquo loco unica adest Ecclesia, Episcopum praescribere posse visitationem huius unicae Ecclesiae toties, quot sunt Ecclesiae visitandae.

Quoad vero facultates confessariorum sunt eaedem ac supra vidimus pro confessariis designatis Romae ab Emo Card. Vicario, addita etiam facultate dispensandi super occulta irregularitate.

Facultates autem intelliguntur concessae omnibus confessariis quos sibi elegerint poenitentes, dummodo sint approbati, et si agitur de Monialibus, dummodo approbati sint ad excipiendas Monialium confessiones.

Art. IV.

DE INDULGENTIIS PRO DELATIONE SCAPULARIS.

§ 1. *De notione et divisione.*

Scapulare est *insigne* quoddam, duobus panniculis constans simul coniunctis per funiculos, deferendum ad similitudinem scapularium quae nonnullorum Ordinum propria sunt et ad quorum differentiam *parvum* scapulare dicitur. Huiusmodi " parva scapularia quae fideles gestare solent, in sua origine et institutione, aliud non sunt quam scapularia variis Ordinibus religiosis propria, pro maiori fidelium commoditate ad parvam formam redacta „ (D. 423. 18 Aug. 1868). Ordines enim, cum coeperunt sibi per Confraternitates fideles aggregare, iisdem dede-

runt aliquod externum signum proprii Ordinis, inter quae praecipua fuere *scapularia* (Beringer tom. I. pag. 390). Successu tamen temporis, invecta etiam fuere scapularia, quae non sunt insigne alicuius Confraternitatis, sed simpliciter signum propriae devotionis erga D. N. I. C. vel B. V. vel Sanctos.

Quare modo scapularia ad triplicem classem reduci possunt: [1]) 1ª est eorum quae insigne sunt alicuius Confraternitatis et quidem *essentiale* ita ut nulla sit inscriptio in Confraternitatem, nisi simul in adscriptione scapularia imponantur, et ex quorum delatione pendet fruitio privilegiorum ac indulgentiarum Confraternitatis: cuiusmodi est v. gr. scapulare B. M. V. de monte Carmelo;

2ª est eorum quae insigne sunt Confraternitatis, at non essentiale ita ut liberum sit fideli ea deferre vel non; sic in Summario indulgentiarum piae Unionis seu Societatis Immaculatae Conceptionis Mariae Sanctissimae erectae Romae in ecclesia Aracoeli (*Rescripta authentica*, pag. 580 et sqq.) legitur in fine: " Praeterea sodales induere sibi *poterunt* scapulare vel numisma Mariae Virginis Immaculatae a Praeside Unionis benedictum; „

3ª eorum quae non sunt insigne alicuius Confraternitatis, sed quorum impositioni et delationi adnexae sunt indulgentiae, uti est v. gr. scapulare caeruleum Immaculatae Conceptionis.

[1]) *Revue des sciences ecclésiastiques* — Amiens — Janvier 1892, pag. 5 et suiv. *Des Confréries*, chapitre VIII. *Les insignes des Confréries.*

§ 2. *De conditionibus.*

Pro *applicatione* indulgentiarum

Ex parte *obiecti* requiritur:

quoad *materiam* 1° ut confectum sit exclusive ex *lana* (D. 423. 18 Aug. 1863). Quare vox pannus, panniculus, quando agitur de scapularibus, sumi debet sensu stricto de sola lanea, et quidem textura reticulata (lavoro di maglia, tricotage) (d. c.); non vero de quocumque laneo opere acu picto (ricamo, broderie) (d. c.). Permittitur tamen ut scapularia habeant intexta vel acu picta ornamenta ex alia materia quae non sit lana, dummodo ornamenta talia sint, ut color praescriptus praevaleat (d. c.); 2° ut lana sit *coloris* proprii singulorum scapularium.[1] Pro scapulari SS. Trinitatis et pro scapulari B. M. V. de Mercede color debet esse *albus;* pro scapulari B. M. V. Septem Dolorum, *niger;* pro scapulari B. M. V. de monte Carmelo, *tanneus* vel etiam niger (D. 278. 12 Feb. 1840)*;* pro scapulari Immaculatae Conceptionis, *ceruleus;* pro scapulari Passionis, *rubeus* etc.

Nota. Quod dictum est de materia ac colore, non valet pro *funiculis* quibus panni coniunguntur, ih enim cuiuscumque materiae ac coloris esse possunt. Excipitur scapulare rubrum *Passionis D. N. I. C.* cuius funiculi lanei ac rubri coloris esse debent.

quoad *formam*: 1° ut iuxta antiquum et generalem usum, *forma* panniculi *oblonga* sit vel *quadrata.* Quare S. C. interrogata de usu conficiendi scapularia formae rotundae vel ovalis, imo et multangulae, respondit: *Nihil esse innovandum* (D. 423. 18 Augusti 1868); et 2° ut confecta sint iuxta formam

statutam, sic scapulare SS. Trinitatis debet habere crucem, cuius hasta verticalis debet esse lanae rubri coloris et horizontalis lanae coloris caerulie.

Ex parte *applicantis* requiritur:

1° ut *sacerdos* sit; benedicit enim scapulare;

2° ut *facultatem* habeat benedicendi et imponendi;

3° ut qui *benedicit* scapulare, idem imponat [1]) humeris Christifidelium, (D. 430. 16 Iunii 1872), servata saltem in substantialibus [2]) *forma* praescripta (D. 421. 18 Aug. 1868). Permittitur autem ut unum

[1]) Observari debet pro scapulari B. M. V. de Mercede, quod potest ab uno benedici et ab alio imponi; ita enim legitur in *Constit. Ordinis de Mercede*, dist. I. cap. XI. n. 7. " Potestas autem ad benedictionem scapularii praestandam sit privative penes omnes Ordinis Praelatos: hoc tamen servato discrimine quod Magister potest illud pro tota Ecclesia benedicere, Provincialis pro tota Provincia; et uterque pariter benedictionem et traditionem eius delegare. Praelatus vero localis non ad benedictionem, sed ad traditionem dumtaxat illius suam facultatem subdelegare potest. „ In appendice autem ad *Rituale Romanum* habetur formula pro benedictione tantum et pro benedictione et impositione. Quod quidem nec considerari debet uti exceptio Decreti 430, 16 Iunii 1872: hic enim sermo est de iis scapularibus, in quibus locum non habet de iure haec distinctio personarum, ita ut alius potestatem habeat benedicendi et imponendi, alius simpliciter imponendi scapularia ab alio iam benedicta.

[2]) " Mais quelles sont les paroles substantielles? Ce sont d'abord évidemment celles qui expriment l'acte que l'on fait: *Accipe hunc habitum*. Il nous semble aussi nécessaire d'indiquer la confrérie dans laquelle on reçoit: c'est le seul moyen de déterminer l'acte et de lui donner sa signification dernière. Est il de rigueur d'indiquer les effets que l'on attend de cette imposition de l'habit, comme cela se voit dans chaque formule approuvée, *in*

idemque scapulare *semel* benedictum valide possit pluribus per vicem imponi, ita tamen ut primum scapulare quod deinceps adscriptus induet, benedictum fuerit (d. cit.). " Licet autem Sacerdoti in impositione scapularium ab Ecclesia approbatorum, omnibus rite peractis, dicere semel numero plurali formulam *Accipite Fratres* vel *Sorores* etc., imponendo successive et sine interruptione scapulare omnibus praesentibus (Decr. S. I. C. die 18 Apr. 1891);

4⁰ ad simultaneam et compendiosam traditionem plurium scapularium, requiritur indultum Apostolicum: tamen per Decretum S. I. C. die 27 Apr. 1887 (*Acta S. Sedis* XIX. pag. 554) statutum est ut scapulare B. M. V. de monte Carmelo honoris et devotionis causa separatum potius et distinctum quam cumulative et commixtum cum aliis quatuor vel pluribus scapularibus benedicatur et imponatur; simul tamen permittitur ut illi omnes etiam Regulares Ordines et Congregationes, quibus Indultum quocumque nomine vel forma ab Apostolica Sede concessum fuerit, tantummodo ad decennium perfruantur computandum a die 27 Aprilis 1887.

augmentum fidei, spei et charitatis, pour la confrérie de la Très-Sainte Trinité; *precantes Sanctissimam Virginem, ut eius meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat aeternam,* pour la confrérie du Mont-Carmel, etc? Non, croyons-nous, à moins peut-être d'une manière assez générale. Il s'agit évidemment du cas de nécessité urgente; car dans toutes les autres circonstances, on se fera un devoir de suivre exactement les cérémonies indiquées dans les formules approuvées par l'Eglise. Il ne faut pas vouloir être plus sage qu'elle. (*Revue des Sciences ecclésiastiques* — Juillet 1892 — pag. 56).

Ex parte *suscipientis*:

1° Requiritur ut praesens sit; debet enim recipere scapulare de manu sacerdotis (D. 397. 18 Sept. 1862).

2° Non requiritur ut distinctus sit ab applicante. Quare qui habet facultatem imponendi scapulare, potest sibimet imponere, dummodo tamen haec facultas habeatur *indiscriminatim*, non vero taxative, v. gr. pro aliqua Monialium Communitate tantum (D. 280. 7 Martii 1840). Neque requiritur ut usum rationis habeat. Quare *parvulis* usum rationis nondum adeptis valide imponitur scapulare: qui, ut patet, non poterunt frui indulgentiis, nisi cum ad usum rationis pervenerint, conditionesque adimpleverint (D. 410. 29 Aug. 1864); datur nimirum huiusmodi parvulis quasi quoddam *ius ad rem*.

3° Requiritur ut adscribatur Confraternitati, si agitur de scapulari quod insigne sit alicuius Confraternitatis. Haec autem adscriptio fit ab ipso sacerdote qui scapulare imposuit. Sacerdos enim qui habet facultatem imponendi scapulare Christifidelibus, eo ipso habet facultatem adscribendi eos respectivae Confraternitati. Ad quem finem penes se habere debet privatum regestum, et quam primum commode potest tenetur ad Superiores respectivae Sodalitatis vicinioris canonice erectae nomina receptorum transmittere, ut in album ipsius Sodalitatis referantur (D. 428. 26 Ian. 1871). Ex Decreto S. I. C. die 27 Apr. 1887 (*Acta S. Sedis* XIX. pag. 556) revocatum est indultum Gregorii XVI 28 Apr. 1838, quo sacerdotes habentes facultatem recipiendi Christifideles in Confraternitatem B. M. V. de monte Carmelo eximuntur ab onere inscribendi.

Pro indulgentiarum *lucratione:*

Requiritur 1° ut deferatur *modo consueto,* scilicet e collo pendens unaque sua parte pectus, altera scapulas contegens (D. 277. 12 Feb. 1840). Quod si agatur de pluribus scapularibus, approbatus a S. Sede est usus gestandi per modum unius plura simul inter se distincta scapularia hoc modo, ut variorum scapularium panniculi, alii aliis superpositi, duobus tantum funiculis (qui lanei ac rubri coloris esse debent, si inter scapularia reperiatur etiam scapulare Passionis) assuantur et singulorum scapularium panniculi dependeant tam e pectore quam ab humeris (D. 423. 18 Aug. 1868). Prohibetur autem expresse ut isti panniculi constituant unum tantum scapulare in quo associantur diversi coloris panniculi (Decr. S. I. C. 27 Apr. 1887 relatum ab *Acta S. Sedi* XIX, pag. 557).

2° Non est necesse ut scapulare immediate super corpus deferatur ita ut physice illud tangat, sed potest retineri super vestes (D. 367. 15 Mart. 1855).

3° Scapulare continuo deferri debet diu noctuque, ita ut suspendatur acquisitio indulgentiarum quando non deferatur. Non officit tamen si per breve tempus ex rationabili causa deponatur.

4° Primo scapulari benedicto potest substitui aliud etiam non benedictum; dummodo expresse non exigatur ut alia etiam sint benedicta.

5° Si quis dimiserit scapulare non tenetur ad novam sacri habitus receptionem ab habente potestatem, si velit indulgentias Sodalitatis lucrari, sed sufficit ut sacrum habitum denuo resumat (D. 379. 27 Maii 1857).

Art. V.

DE INDULGENTIIS ADNEXIS ACTUI HEROICO CHARITATIS.

§ 1. *De notione.*

" *Actus heroicus charitatis* erga animas in Purgatorio detentas in eo consistit, quod Christifidelis sive aliqua adhibita *formula*, sive etiam tantummodo *mente*, offerat Deo O. M. pro animabus Purgatorii omnia opera *satisfactoria* quae ipse, quoad vixerit, peraget; nec non omnia *suffragia* quae post mortem quomodocumque ei obvenire poterunt. — Multi fideles B. V. Mariae devotissimi, auctore aut suasore b. m. P. Gaspare Oliden ex Ordine Clericorum Regularium Theatinorum, consueverunt huiusmodi opera satisfactoria et suffragia in Manus quodammodo Beatae Virginis deponere, ab Eadem pro suo misericordi beneplacito distribuenda in favorem animarum Purgatorii. „ (Decretum S. I. C. die 19 Decembris 1885 relatum in *Acta S. Sedis*, vol. XVIII. pag. 337).

Nota 1° inter opera satisfactoria, quae in actu heroico charitatis offeruntur pro animabus Purgatorii comprehendi etiam *a)* indulgentias quae declaratae fuerunt a Summis Pontificibus applicabiles Christifidelibus defunctis (d. c.); *b)* quin imo indulgentias etiam pro vivis concessas ita ut hae indulgentiae, ad satisfaciendum pio proposito, defunctis applicandae sunt iuxta indultum a summo Pontifice concessum emittentibus actum heroicum charitatis (d. c.).

2° Neque pars integralis actus heroici, neque conditio praescripta est, ut propriae satisfactiones

omnes atque indulgentiae non modo pro Purgatorii animabus offerantur, sed etiam Beatissimae Virgini, prout ipsi placuerit distribuendae relinquantur; haec proinde in Virginis manus velut consignatio habenda est dumtaxat ut pia actui accessoria devotio Christi-fidelibus commendanda (d. c.).

3° " Eiusmodi oblatione nil aliud ceditur quam fructus specialis et personalis; quare non prohibetur Sacerdotibus Missam applicare iuxta intentionem illorum qui eleemosynam obtulerunt (*Raccolta* p. 454).

4° Actus hic, licet etiam designetur sub nomine voti, tamen non obligat sub peccato (*Raccolta,* l. c).

Tandem ad maiorem intelligentiam huius actus heroici sequentia sunt notanda: I. cum in nostris actionibus distingui debeat *meritum, impetratio* et *satisfactio*; illud quod Deo offerimus pro animabus Purgatorii est tantummodo *satisfactio:* quare *a)* liberum nobis est *impetrare* orando tam pro nobis quam pro aliis; *b)* multo vero minus exuere nos possumus *merito* [1]).

[1]) Quomodo satisfactio non vero meritum cedi possit ita clare explicat Palmieri (*App de Suffrag.* et *de Indulg.* ad opus Ballerini pag. 620) " Convenit inter meritum et satisfactionem quod uterque est actus personalis, ideoque spectata origine, eius solum sunt, a quo procedunt: et differunt ratione habita applicationis; quamvis enim meritum nostrum nequeat evadere meritum alterius, nostra tamen satisfactio, quam nempe nos agimus, fieri potest satisfactio alterius, nimirum non secus ac si ab ipsomet peracta fuisset. Scilicet mereri quis valet et alteri, sed non ita, ut abdicans a se rationem sui meriti, transferat illam prorsus in alium, qui idcirco talis ante Deum constituatur, ac si ipse meruisset: at homo valet pro altero satisfacere ita, ut totum ius suae satisfactio-

II. Satisfactio quae ceditur, ut vidimus in *Raccolta,* est solum satisfactio personalis, quare ipsa *Raccolta* concludit applicari posse Missam iuxta intentionem illorum qui eleemosynam dant, quod a fortiori dicendum est de Missa quam quis applicare teneatur, v. gr. ratione beneficii, seu ex obligatione iustitiae et etiam ex obligatione charitatis; quoad vero satisfactiones speciales et personales, si quis actum heroicum emiserit absque oblatione in manus B. Virginis, liberum ei est designare animas de-

nis transferat in alium et sic iste ante Deum non secus moraliter censendus sit, ac si ipse actu suo satisfecisset. Moraliter inquam; nam reapse opus satisfactorium est et pergit esse physice et vitaliter eius qui operatur; sed pro alio ita acceptatur, ut hic alius per illud ipsum opus ius acquirat ad condonationem poenae. Ratio discriminis haec est. Meritum est nova perfectio et dignitas merentis cum exigentia praemii: infert proinde intrinsecam mutationem merentis eo quod gratior Deo et sanctior evadat: porro repugnat, ut concipiatur nova perfectio, dignitas atque intrinseca mutatio, cum exigentia praemii, in eo, qui non agit: meritum ergo proprium et privativum est agentis et ab eo inalienabile. E contrario satisfactio est compensatio honoris laesi exhibita personae offensae: atqui compensari honor personae offensae potest, sive offensor sive alius pro eo debitum solvat, imo fieri potest, quod maior sit compensatio ab alio exhibita, si hic sit nobilior et excellentior. Itaque alter ab offensore talem satisfactionem offerre potest, ut personae offensae honor ab offensore laesus vere reparetur: ergo alter potest alteri satisfactionem a se actam ita applicare, ut hic vere satisfecisse censeatur. Ut autem actu obtineat talis satisfactio pro alio, id solum requiritur, quod persona offensa eam acceptet satisfactionem: nam integrum semper ei est, satisfactionem exigere ab offensore, non quia haec sit maior vel melior, sed quia ipse illam debet. „

functorum, quibus suas satisfactiones applicare vult; quod si emiserit cum oblatione in manus B. Virginis, liberum ei non est animas designare, nisi agatur de satisfactionibus quas quis tenetur ex iustitia vel ex charitate determinatis animabus applicare. Et sane semel ac oblata sunt Virgini, iam propria non sunt offerentis sed Virginis, vel melius animarum quas Virgo velit.

§ 2. *De indulgentiis ac privilegiis.*

Indulgentiae ac privilegia concessa favore eorum qui eiusmodi actum heroicum emittunt legi possunt vel in *Raccolta* pag. 454 vel in *Rescripta authentica* pag. 304, ubi refertur Decretum *Urbis* et *Orbis* S. I. C. die 20 Nov. 1854, in quo a Pio IX confirmantur omnes indulgentiae ac privilegia, atque declarantur. Iamvero, ita in supradicto Decreto exponuntur et declarantur indulgentiae ac privilegia huic actui adnexa:

" 1° quod sacerdotes ipsam oblationem profitentes indulto altaris privilegiati personalis gaudere possint singulis anni diebus; 2° quod omnes Christifideles, qui idem votum seu oblationem emittunt, indulgentiam plenariam fidelibus tantum defunctis applicabilem lucrari queant quocumque die ad S. Communionem accesserint, et qualibet anni feria secunda sacrum Missae Sacrificium in suffragium eorumdem defunctorum fidelium audierint, dummodo in utroque casu aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium iuxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint; 3° quod ipsis Christifidelibus omnes et singulas indulgentias quocumque modo concessas, vel in posterum concedendas, quas

lucrari possunt, animabus pariter defunctorum applicare liceat; 4° quod, ut magis ac magis animabus piacularibus flammis addictis perenne tribuatur auxilium, ad universi Orbis Christifideles dictam oblationem exsolventes, quatenus opus sit, hoc indultum extensum habeatur. — Praeterea eadem Sanctitas Sua prae oculis habens tum adolescentes nondum ad sacram Communionem accedentes, tum vero infirmos, senes, villicos, in carceribus detentos, ceterosque fideles, qui aut ad sacram Synaxim accedere, aut in feria secunda sacrum Missae Sacrificium audire nequeunt,... clementer indulsit, ut omnibus et singulis Christifidelibus, qui legitimo impedimento nequeunt Sacrum audire feria secunda, pro acquisitione supraenuntiatae indulgentiae in qualibet secunda feria, ut supra, concessae, suffragetur Missa, quam die Dominico ex praecepto audire tenentur; pro omnibus et singulis vero fidelibus, qui aut nondum sacrae Eucharistiae sumendae capaces, aut legitima alia ratione hoc Sacramentum sumere nequeunt, benigne remisit facultatem arbitrio respectivi pro tempore Ordinarii locorum subdelegandi confessarios ex approbatis pro opportuna Communionis in alia pia opera commutatione. „ (*Rescripta auth.* n. 392).

Art. V.

DE INDULGENTIIS BULLAE CRUCIATAE.

Videretur de indulgentiis Bullae Cruciatae loquendum esse in altera Sectione, ubi de indulgentiis *particularibus;* at cum huiusmodi indulgentiae, licet concessae favore alicuius nationis, tamen acquiri

possunt etiam a non subditis seu extraneis divertentibus ad ea loca ubi Bulla viget, uti *generales* haberi debent, et proinde de iisdem in hac Sectione loquendum est; item licet privilegium acquirendi has indulgentias dici possit locale, hoc enim obtineri non potest in ea loca ubi non viget *Bulla Cruciata,* tamen indulgentiae acquiri possunt etiam extra ea loca, quare uti *personales* habendae sunt.

§ 1. *De notione Bullae Cruciatae.*

Bulla Cruciata generatim definitur ab auctoribus, qui de eadem pertractant, ut sit — Diploma Pontificium multa privilegia et gratias continens, primitus concessum in belli subsidium contra infideles, et nunc in divini cultus impensas. Dicitur *cruciata,* " quia, ait Trullench (*Bullae Cruciatae Expositio Proemium* dub. 2) similes indulgentias dedit Urbanus II cruciatis, sive cruce rubea insignitis, euntibus ad recuperandam Terram Sanctam. „

Disputant DD. circa originem huius Bullae. De origine, haec habet Bulla *Dum infidelium* pro Hispaniis data a Pio IX 30 Aprilis 1861. " Dum infidelium furor catholicos principes et populos assiduis bellis agitare, ac variis Europae regionibus ipsique Italiae extremum discrimen, cum animarum pernicie minitaretur, ad tantum periculum prohibendum decessor tuus Philippus II, Hispaniarum Rex Catholicus, ab hac Sancta Sede Apostolica litteras accepit, quibus plures gratiae favoresque, tum spirituales, tum temporales, ad certum annorum intervallum tribuebantur iis, ex Hispanica ditione fidelibus, qui ad praelia contra infideles proficiscerentur, aut mi-

litares illas expeditiones peculiari ope seu contributa in expensas necessarias pecuniae summa iuvarent. Quod quidem indultum nonnullis additis, seu declaratis saepius a Romanis deinceps Pontificibus Praedecessoribus Nostris atque semel atque iterum per Nos prorogatum fuit, nulla licet urgente contra infideles praeliandi necessitate, eo tamen consilio, ut eleemosynae ex concessionibus in Indulto comprehensis collectae ad pios usus erogarentur. „ (Cfr. *Expositio Bullae Sanctae Cruciatae,* auctore D. D. Michaele Sanchez, Matriti 1875, in qua haec Bulla per integrum legi potest, pag. 423 et sqq.).

Bulla haec conceditur non solum favore regni Hispaniarum [1]) sed etiam regni Lusitani, plurium

[1]) Si quis ampliorem notitiam de *Bulla Cruciatae Hispana* desiderat, consulere potest ex antiquioribus — Trullench *Expositio Bullae Cruciatae;* ex recentioribus — *Expositio Bullae Sanctae Cruciatae,* auctore D. D. Michaele Sanchez presbytero, Matriti apud la Riva, via vulgo de les Huertas 58, 1875; — *Tractatus de Bulla Sanctae Cruciatae, Appendix ad Compendium Theol. moralis,* auctore Gury S. I., nova editio Hispana, Barcinone apud viduam et filios S. Subirana, via dicta Puerta Ferrisa 16, 1867; — *Compendium Theol. moralis,* a Raymundo Alsina Theol. moralis in Seminario Coelsonensi professore.... editio quarta.... Barcinone 1888 tom. II. pag. 229 et sqq.; et pro historia huius Bullae — *Colecion de Bulas, Breves y otros documentos relativos a la Iglesia de America y Filipinas dispuesta, anotada ilustrada por el P. Francisco Iavier Hernaez de la Compagnie de Iesus, Bruselas imprenta de Alfredo Vromant* 1879, tom. I. cuarta parte, seccion primera *de la Bula de la Santa Cruzada*: pro Bulla Lusitana, ex antiquioribus consuli potest — *R. P. Ludovici Nogueira Lusitani S. I. theologi, Expositio Bullae Cruciatae Lusitaniae concessae.... Coloniae Agrippin.* MDCLXXXXI in qua legitur per extensum Bulla concessa a Gregorio XIV.

Rerumpublicarum Americae Meridionalis etc., atque datur ad tempus aliquod limitatum, quo elapso ordinarie prorogatur ad aliud annorum spatium.

Exsecutio huius Bullae demandatur alicui generali Commissario, qui pro Hispania est Archiepiscopus Toletanus.

Quamvis Bulla una sit, tamen Commissarii facultas fit eam dividendi in plures Bullas seu melius Summaria, quae generatim quatuor sunt et appellantur, Bulla *Vivorum,* Bulla *Defunctorum,* Bulla *Lacticiniorum,* Bulla *Compositionis.*

His modo addenda est Bulla *Carnis* seu Indultum quadragesimale, quae licet originem ducat ex alio documento distincto a Bulla Cruciatae, attamen exsecutioni mandatur eodem modo ac Bulla Cruciatae.

Haec autem Summaria conceduntur valitura spatio unius anni, computando a die publicationis Bullae in loco ubi Bulla seu Summarium sumitur ita ut eo expirato necesse est aliud Summarium sumere, ut quis possit continuare frui privilegiis in iisdem contentis.

Conditiones ad fruendum privilegiis Bullae sunt sequentes:

1. ut quis *subditus* sit illius status, favore cuius Bulla concessa est, vel etiam non subditus, dummodo ad eum statum *divertat* quacumque ex causa;

2. ut *eleemosynam* a Commissario generali taxatam sponte eroget;

3. ut Summarium ab eodem *sumat* et acceptet.

Quaestio fit an necessarium sit scribere proprium nomen in Summario, et ipsum conservare, ita ut amittantur privilegia, si Summarium amittatur. Pro-

babilior sententia negat; sed bene notat Auctor *Tractatus de Bulla Cruciatae* (Appendix *ad Compendium Theol. moralis,* auctore P. S. Gury S. I. nova editio Hispana, Barcinone 1867, tom. 2. pag. 809): " Consultius et tutius esse nomen recipientis in Bulla inscribere, eo vel maxime ut si quis in articulo mortis constiutus sensibus subito destituatur, per nomen proprium in ea inscriptum constet habere Bullam, vi cuius absolvatur.... et in loco sacro tempore interdicti sepeliri possit. „

Hac praemissa brevi de Bulla Cruciatae expositione, omissis reliquis privilegiis ac facultatibus, quae ad scopum nostrum non faciunt, aliquid breviter dicemus de indulgentiis per eamdem concessis, nec non de conditionibus ad earumdem lucrationem necessariis.

§ 2. *De Indulgentiis.*

Cum Bulla Cruciata pro Hispania sit velut exemplar Bullarum quae aliis nationibus concessae sunt; hinc loquimur solum de indulgentiis, quae ibi continentur, quaeque sequentes sunt.

I. " Ac primum quidem iisdem Christifidelibus omnibus et singulis, qui vere poenitentes peccata sua infra praedictum annum confessi fuerint, et Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum devote susceperint, aut si non valeant haec Sacramenta suscipere, id saltem corde contrito desiderent, plenariam omnium et singulorum peccatorum indulgentiam et remissionem, quae proficiscentibus ad recuperationem Terrae Sanctae concedi consueverat, quaeque in anno Iubilaei concedi solita est, tribuimus et elargimur;

eos tamen, qui peccata sua confiteri non possunt, etsi id contrito corde desiderent, supradicta plenaria indulgentia tum solum frui posse statuimus si alias intra praescriptum cuique fideli ab Ecclesia tempus confessi sint, neque in huius Nostrae concessionis confidentia praeceptum illud adimplere neglexerint. Item eadem indulgentia suffragabitur per modum suffragii etiam animabus defunctorum pro quibus Christifideles eleemosynam de bonis suis ab Archiepiscopo Toletano taxandam, et in supradictos pios usus erogandam contulerint. „

II. " Item iisdem Christifidelibus dicto anno durante quoties extra dies ieiunio consecratos voluntarie ieiunaverint, aut a ieiunio legitime impediti pium aliquod opus sibi a Parocho vel Confessario praescribendum peregerint, et pro exaltatione Sanctae Matris Ecclesiae, haeresum extirpatione, propagatione catholicae fidei, ac pace et concordia christianorom principum pias Deo preces obtulerint, quindecim annos et totidem quadragenas indulgentiae et remissionis, dummodo saltem contriti sint, misericorditer in Domino tribuimus, eosdemque participatione [1]) donamus orationum, eleemosynarum aliarumque piorum operum, quae ipso illo die, quo ieiunaverint, in tota militante Ecclesia peragantur. „

III. " Praeterea Christifidelibus ipsis dicto anno

[1]) Haec *participatio,* ut patet, non est concessio alicuius indulgentiae non enim fit per absolutionem sed per simplicem solutionem et ad modum suffragii. Comparari ea potest participationibus piorum operum, quae peraguntur a religiosis favore suorum benefactorum, cum hac tamen distinctione quod superior religiosus eam participationem

durante, in singulis diebus stationum almae Urbis nostrae quinque Ecclesias seu altaria, aut in illorum defectum quinquies unum et idem altare, monialibus vero cuiusvis Ordinis et Instituti regularis, ac mulieribus et puellis in quibusvis monasteriis seu conservatoriis degentibus, si forte Ecclesias non habuerint, capellas ab ecclesiasticis viris eorum legitimis superioribus designandas, respective devote visitantibus, et in eis pias ad Deum preces ad praedictos fines effundentibus, omnes et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes aliis Ecclesiis tam intra quam extra moenia praedictae Urbis, ad quas dictae stationes fixae existunt, concessas, eadem auctoritate Apostolica misericorditer in Domino concedimus. Imo in diebus etiam in quibus pro stationibus Urbis partialis tantum indulgentia data est, concedimus ut memorati Christifideles, qui sacramentali confessione expiati et Sanctissimo Eucharistiae Sacramento refecti, supradictam visitationem peregerint, plenariam indulgentiam lucrari valeant, atque ut in Dominica Septuagesimae, in feria tertia post Dominicam primam Quadragesimae, in sabbato post Dominicam secundam, in Dominicis tertia et quarta, et feria sexta, et sabbato post Dominicam Passionis, in feria quarta post Pascham Resurrectionis, et in feria quinta et

facere nequeat sine intentione illius cuius satisfactio applicatur (Suarez, *in 3. p.* S. *Thomae* disp. LVI, q. v. n. 12): e contra R. P. potest admittere ad participationem omnium operum quae in christianitate peraguntur, insciis operantibus, dummodo ab his non fuerint ex propria intentione applicata.

sabbato post Pentecosten, plenariam ipsam indulgentiam pro animabus in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint. „

§ 3. *De conditionibus.*

Ex dictis, indulgentiae Bullae Cruciatae ad triplicem classem reduci possunt: 1. ad indulgentiam *plenariam;*

2. ad indulgentias *quindecim annorum et totidem quadragenarum;*

3. ad indulgentias *stationales.*

Iamvero conditiones ad lucrationem harum indulgentiarum aliae *generales* sunt omnibus indulgentiis, aliae vero *speciales* indulgentiis huius Bullae; quae quidem et ipsae sunt vel *communes* etiam aliis Bullae privilegiis, vel *propriae* tantum indulgentiarum. Cum de conditionibus generalibus loquuti simus in parte prima pag. 38 et sqq. et de communibus in § antecedenti pag. 117, restat ut loquamur de *propriis.* Atqui 1° pro indulgentia plenaria sub n. 1. requiritur *confessio et communio;* tamen nonnisi conditionate, ita ut si quis in impossibilitate sit haec opera praestandi, possit hanc indulgentiam lucrari etiam sine iisdem, dummodo corde sit contritus. Haec autem indulgentia plenaria vi Bullae, quam quis sumpserit, nonnisi unica vice lucrari potest.

2° Pro indulgentia partiali, quae continetur sub n. II. requiritur *ieiunium* et *preces* iuxta fines consuetos. Quoad preces vid. sup. pag. 62; quoad ieiunium necesse est, ex verbis ipsius Bullae, ieiunare " extra dies ieiunio consecratos. „ Quod si quis ieiunare impeditus sit, facultas fit Parocho vel Confes-

sario commutandi ieiunium in aliud pium opus. Haec indulgentia acquiri potest pluries, scilicet toties quoties opera praescripta iterantur.

3° Tandem aliquid dicendum superest de indulgentiis stationalibus, quae continentur sub num. III. Quaenam sint indulgentiae *stationales* et quibus diebus lucrari possunt videbimus infra, ubi *de indulgentiis stationum.* Advertendum tamen est quod vi huius Bullae, " in diebus etiam, in quibus pro stationibus Urbis partialis tantum indulgentia data est „ conceditur indulgentia *plenaria.*

Quoad *conditiones* tam pro indulgentiis partialibus quam pro plenariis requiritur *a) visitatio* quinque Ecclesiarum seu altarium, et in illorum defectu visitatio quinquies repetita unius eiusdemque altaris. Nomine Ecclesiae veniunt etiam Oratoria publica, non vero privata, neque etiam publica, ad quae tamen christiana plebs publice non solet accedere, vid. sup. pag. 69. Exceptio fit ab ipsa Bulla favore Monialium etc. quae si Ecclesias forte non habuerint, capellas ab eorum legittimis Superioribus designandas visitare poterint. Quomodo autem visitatio sive Ecclesiae sive altaris fieri debet vid. sup. pag. 67 et sqq.; *b) preces* ad consuetos fines. Quomodo *oratio* et quidem ad consuetos fines peragi debeat vid. sup. pag. 65; *c)* si vero agatur de lucranda indulgentia plenaria requiritur insuper *confessio et communio.* Variae normae pro confessione et communione legi possunt supra pag. 56 et sqq.

Tandem quoad indulgentias applicabiles defunctis sive vi *Bullae defunctorum* sive vi *Bullae vivorum* requiritur *a)* intentio eas applicandi, quae

intentio ut patet habetur eo ipso quod quis Bullam pro defuncto sumit; *b)* status gratiae [1]) saltem iuxta aliquorum DD. sententiam, vid. sup. pag. 40; *c)* adimpletio conditionum, si quae praescriptae sint.

[1]) Relate ad hanc sententiam, quam et nos sequimur (vid. pag. 40), prae oculis habenda sunt quae habet Guerra (*Tesoro delle Indulgenze,* pag. 146).

Conseguentemente la opinone negativa, quod scilicet requiritur status gratiae, come più sicura in pratica, dee raccomandarsi ai fedeli, inculcando loro che le offerte hanno da recarsi con mani pure; e mal si conviene la parte d' intercessore a chi è in disgrazia di Dio, e meritevole di eterne pene. Per altro, come bene avverte il chiarissimo P. Ballerini nelle sue annotazioni al P. Gury (vol. 2°, append. sulle Indulgenze), non si dee con troppo ardore sostenere questa sentenza, perchè si potrebbe ottenere il non buon effetto che alcuni cessassero dal pregare pe' loro morti; e non sarebbe ciò buona cosa, nè pe' vivi che, quantunque peccatori, possono ricavare molto vantaggio dal pregare, nè pe' morti i quali probabilmente possono essere aiutati dalle indulgenze da quelli per loro lucrate. E valga per ciò questo esempio. Nelle famiglie de' contadini, in molte delle quali pur troppo vi sono alcuni che stanno gran tempo in istato di colpa mortale, vi è il costume di recitar la sera il Rosario pe' loro morti. Se s'insegna ad essi assolutamente che le indulgenze del S. Rosario, detto da chi è in peccato mortale, non giovano alle anime del purgatorio; è cosa facilissima che, forse già svogliati di pregare, s' inducano a lasciare la recita del Rosario. E di qui non solo il danno probabile dei loro morti, ma il danno grave e certissimo de' vivi, a cui il pregare gioverà assai, principalmente per farli uscire dallo stato di colpa, e a ottenere loro una morte cristiana e in grazia del Signore. E questo abbiamo voluto notare anche perchè avviene non rare volte, che per l' impegno a voler l'ottimo, si perde il bene, e lasciasi aprire la porta al male, che una volta entrato non esce più.

Art. VI.

DE ALIQUOT ALIIS INDULGENTIIS.

§ 1. *Indulgentiae pro primo Sacro.*

1. Indulgentia *plenaria Sacerdoti* die quo *primam* missam celebraverit, dummodo confessus visitaverit aliquam publicam Ecclesiam seu Oratorium, ibique aliquo temporis spatio ad mentem Summi Pontificis oraverit.

2. Indulgentia *plenaria* sub ordinariis conditionibus, *consanguineis* (usque ad *tertium* gradum inclusive) Neosacerdotis, qui devote *primae* eiusdem Missae adstiterint.

3. Indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* omnibus *fidelibus* qui corde saltem contrito eidem *primae* Missae adstiterint piasque preces ad mentem Sanctitatis Suae effuderint. (*Raccolta,* pag. 518 et 574).

§ 2. *Indulgentiae pro christiana catechesi.*

1. Indulgentia *septem annorum magistris* qui diebus *festivis* ducunt discipulos ad catechismum, eosque christianam catechesim docent.

2. Indulgentia *centum dierum magistris* qui diebus *ferialibus* catechismum explicant in suis scholis.

3. Indulgentia *centum dierum patribus matribusque familias* quoties in suis domibus filios et domesticos catechizaverint.

4. Indulgentia *centum dierum Christifidelibus* qui

per semihoram catechismo addiscendo operam dederint, et illum alios edocuerint.

5. Indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* omnibus *adultis* quoties sacramentaliter confessi et S. Communione refecti devote interfuerint pio exercitio catechizationis quod in ecclesiis vel oratoriis pro pueris instituitur.

6. Indulgentia *plenaria* sub ordinariis conditionibus in festis Nativitatis Domini, Paschatis et Ss. Apostolorum Petri et Pauli, omnibus *adultis* qui sedulo huic exercitio interfuerint ad doctrinam christianam vel addiscendam vel edocendam in ecclesiis et oratoriis.

7. Indulgentia *trium annorum* singulis festis B. Mariae Virginis, *cuiuslibet aetatis Christifidelibus* qui adunari solent in scholis vel ecclesiis ad doctrinam christianam addiscendam, dummodo dictis diebus festis confessi fuerint.

8. Indulgentia *septem annorum* si sacram etiam Synaxim susceperint (*Raccolta,* pp. 478, 479).

§ 3. *Indulgentiae pro Angelus Domini.*

Cum mihi acciderit aliquando audire recitationem harum precum diverso modo ac a *Raccolta* praescribitur, haud inutile erit hic referre modum quo recitari debent.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariae, ℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

Ave Maria etc.

℣. Ecce Ancilla Domini, ℟. Fiat mihi secundum verbum tuum.

Ave Maria etc.

℣. Et Verbum caro factum est, ℟. Et habitavit in nobis.
Ave Maria etc.
℣. Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix;
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde: ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem eius et Crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

—

Regina Coeli laetare, Alleluia:
Quia, quem meruisti portare, Alleluia:
Resurrexit, sicut dixit, Alleluia.
Ora pro nobis Deum, Alleluia.
℣. Gaude et laetare, Virgo Maria, Alleluia.
℟. Quia surrexit Dominus vere, Alleluia.

OREMUS

Deus, qui per Resurrectionem Filii tui Domini nostri Iesu Christi mundum laetificare dignatus es: praesta quaesumus, ut per eius Genitricem Virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

1. Indulgentia *plenaria* semel singulis mensibus die cuiusque arbitrio eligendo.

2. Indulgentia *centum dierum* quolibet anni die in singulis statis temporibus acquirenda, quibus recitantur dicti versiculi et antiphona.

Conditiones aliae sunt *communes* ad utramque indulgentiam lucrifaciendam praescriptae, aliae vero *propriae.*

Communes sunt: Recitare versiculos et antiph. 1° statis in die temporibus ad *campanae signum;*

2° *flexis genibus,* exceptis tamen diebus Sabbato de sero et Dominicis: antiphona vero *Regina Coeli* recitanda erit semper stando.

Propriae ad plenariam assequendam sunt: confessio, communio, preces ad mentem Summi Pontificis et quotidiana recitatio versiculorum et antiphonae singulis statutis horis. Si quis autem eo loci extat in quo campanae signum non datur, aut impediatur quominus illud audiat recitare poterit *Angelus Domini* vel antiphonam horis statutis: itemque, legitime impeditus dispensatur a genuflectendo. Item si quis vel memoria nequeat retinere versiculos et antiphonam, aut legere nesciat, indulgetur ut eorum loco ad acquirendas indulgentias recitare valeat quinquies Salutationem angelicam. Sic etiam personae in communitate viventes, quae impediantur ex aliquo exercitio a regulis praescripto recitare hora statuta *Angelus* etc., poterunt idem recitare statim ac exercitium expleverint (*Raccolta,* pp. 194 et sq.).

§ 4. *Indulgentia pro explicatione Evangelii.*

Indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* singulis vicibus Christifidelibus qui devote intersunt explicationi S. Evangelii, quae a Parochis in respectivis paroeciis fit diebus Dominicis et solemnioribus anni diebus. Indulgentia vero *plenaria* diebus festis 1° Nativitatis D. N. Iesu Christi; 2° Epiphaniae Domini; 3° Paschatis Resurrectionis; 4° Pentecostes; 5° Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Christifidelibus, qui assidue supramemoratae explicationi interfuerint simulque dictis diebus vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti fuerint (*Raccolta* p. 481).

§ 5. *Indulgentia pro oratione mentali.*

Indulgentia *plenaria* semel in singulis mensibus Christifidelibus qui quotidie per horae dimidium aut saltem quadrantem orationi mentali devote vacaverint dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Synaxi refecti aliquo temporis spatio ad mentem Summi Pontificis oraverint.

Indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* singulis vicibus Christifidelibus qui publice sive in Ecclesiis sive alibi, vel etiam privatim modum edocuerint quo oratio mentalis facienda est, itemque iis qui hunc modum didicerint, dummodo singulis vicibus peccata confessi sacra Synaxi fuerint refecti.

Indulgentia item *plenaria* semel quolibet anni mense, die cuiusque arbitrio eligendo, iis qui assidue modum vacandi orationi mentali vel edocuerint, vel didicerint, si praefato die vere poenitentes, confessi ac sacra Synaxi fuerint refecti itemque pie oraverint ad mentem Summi Pontificis (*Raccolta,* pag. 480).

§ 6. *Indulgentia pro Ps. De profundis.*

Christifideles devote recitantes flexis genibus Psalmum *De profundis* vel orationem Dominicam et orationem Angelicam cum versiculo *Requiem aeternam* etc., ad signum campanae vel hora noctis prima, vel ante aut post primam noctis horam iuxta cuiusque loci consuetudinem, vel etiam hora *circiter* noctis prima pro locis ubi campana minime pulsari soleat acquirunt indulgentiam 1° quotidie *centum*

dierum; 2° *plenariam* semel in anno si quotidie anno integro praefatas preces uti supra recitaverint, simulque die eorum arbitrio eligendo vere poenitentes, confessi ac sacra Synaxi refecti, iuxta mentem Summi Pontificis oraverint (*Raccolta* pp. 456, 457).

Insuper, ex Rescripto S. Cong. Indulg. diei 3 Februerii 1888, Christifideles ter praefatum Psalmum cum versiculo *Requiem aeternam* etc. in die devote recitantes indulgentiam *quinquaginta dierum,* defunctis quoque applicabilem, qualibet vice lucrantur. (*Acta S. Sedis* vol. xx. pag. 478).

§ 7. *Indulgentia pro Signo Crucis.*

Christifideles qui corde contrito ac devoto proferentes verba " In nomine *Patris et Filii et Spiritus Sancti* „ signo crucis se signaverint, indulgentiam, qualibet vice, *quinquaginta dierum* consequuntur; si vero idem peregerint sumentes etiam aquam benedictam indulgentiam *centum dierum,* qualibet item vice, lucrantur (*Raccolta* pp. 16, 17).

CAPUT II.

De indulgentiis realibus.

Cum quaedam *communia* sint omnibus indulgentiis realibus, quaedam vero *specialia*; hinc loquemur de iisdem 1° in *communi* et 2° in *particulari.*

Art. I.

DE INDULGENTIIS REALIBUS IN COMMUNI.

Pro *applicatione* indulgentiarum
ex parte *dantis,* si est inferior Papa requiritur:

1° ut *facultatem* habeat;

2° ut *obiectum* seu *rem,* si necessaria sit benedictio, manu *benedicat,* et quidem adhibita formula praescripta, si quae requiritur, etiamsi quis habuerit facultatem immediate a S. Sede, uti v. gr. pro corona S. Dominici et Septem Dolorum (D. 401. 29 Februar. 1844);

3° *unica* benedictione possunt benedici in globo *plura* obiecta (D. 363. 12 Mart. 1855);

4° Qui habet facultatem benedicendi cruces etc. eisque applicandi indulgentias, etiam *pro se ipso* cruces et rosaria benedicere potest, hisque utendo sibi quoque indulgentias lucrari. S. I. C. die 16 Iulii 1887 (*Acta S. Sedis* xx. 63).

5° Sacerdos qui habet facultatem tantum *privatim* indulgentias applicandi piis rebus non potest eas in fine officii publici applicare iisdem rebus depositis super aliquo altari, quod designavit (D. 359. 6 Maii 1852); et generatim non potest ea facultate uti *publice*, v. gr. in ecclesia vel oratorio coram fidelibus inibi congregatis et res benedicendas manu tenentibus (D. 313. 7 Ian. 1843).

ex parte *obiecti* seu *rei;*

requiritur 1° *in genere* ut obiectum seu res habeat conditiones requisitas a iure: quare si agatur de applicanda indulgentia v. gr. sacrae imagini in ecclesia publicae venerationi exponendae, imago habere debet conditiones a iure requisitas;

2° *in specie* si agatur de crucibus, coronis etc. destinatis pio fidelium usui, requiritur *a)* ex parte *materiae* ut solida sint; *b)* ex parte *formae* ut confecta sint iuxta formam statutam; quare si agatur

de numismatibus, requiritur ut saltem ex una parte referant imaginem Sancti descripti in martyrologio et canonizati (Decretum S. R. C. die 16 Iunii 1674); et a fortiori D. N. I. C., B. M. V. (Cardellini n. 2552 vol. 2. pag. 330). Dixi ex una parte, ex alia enim possunt referre imaginem Beati, templi, atque etiam Pontificis etc. (Fr. Theod. p. II. c. III. § VI.);

3° uni eidemque rei, v. gr. uni coronae possunt applicari diversae indulgentiae: sed qui diversas illas indulgentias lucrari vult, debet renovare opera praescripta iterabilia (D. 249. 29 Feb. 1820).

Pro *lucratione* indulgentiarum:

in genere nihil aliud dici potest, nisi quod observentur conditiones in concessionibus appositae; sic v. gr. ad lucrandas indulgentias Apostolicas per recitationem Rosarii mediante corona, non requiritur ut corona manu teneatur et volvatur, ut requiritur pro lucrandis indulgentiis coronae S. Dominici.

Pro *cessatione* indulgentiarum:

1° in genere cessant indulgentiae si res destruatur vel in toto vel in maiori parte, ut puta si " numisma notabiliter frangeretur, ut Sancti imaginem non referret, quia idem numisma moraliter minime remaneret „ (Fr. Theod. p. II. c. III. § V.). Advertendum autem est *a)* quod quando crucifixus benedicitur indulgentia cadit in solum Christum ita ut possit ex una cruce in aliam trasferri, absque periculo amittendi indulgentiam illi adnexam (D. 281. 11 Aprilis 1840); *b)* quoad coronas, indulgentiae applicantur globulis; quare potest mutari numisma quin amittantur indulgentiae;

2° in specie quoad res et obiecta indulgentiis di-

tata quae fidelibus distribuuntur, indulgentiae amittuntur *a)* si vendantur: quare qui emit coronas, cruces, numismata etc. ut ea distribuat, postquam benedicta fuerint, non potest a suscipientibus repetere pretium absque periculo amittendi indulgentias (D. 344. 12 Iulii 1849); quin imo si aliquid quocumque titulo sive pretii, sive permutationis, sive muneris, sive eleemosynae requiratur vel accipiatur, indulgentiae ex hoc amittuntur (ex Decr. S. I. C. die 16 Iulii 1887; *Act. S. Sedis* xx pag. 63). " Questo caso però, bene notat Guerra, (*Il Tesoro delle sante Indulgenze* pag. 87) sarebbe diverso da quello nel quale una persona incaricasse un'altra di comprargli molti oggetti da benedire e questa li comprasse, facesse benedirli, e poi li recasse a chi gliene diede la commissione. Giacchè in questo caso non interverrebbe alcuna vendita o mercimonio, ma la seconda persona non sarebbe se non un mandatario della prima, e non avverrebbe passaggio di dominio degli oggetti benedetti, avendo il compratore immediato acquistato in nome e per conto dell'altro gli oggetti medesimi. „ *b)* Quando quis coronas etc. cum applicatione indulgentiarum benedictas sibi proprias fecit et iis usus fuit cum intentione lucrandi indulgentias non potest eas aliis tradere (D. 344. 12 Iulii 1847); neque etiam eas commodando aut precario dando (ex Decreto Alexandri VII 6 Feb. 1657 in *Append. ad Decr. authentica* pag. 447), dummodo non commodentur dumtaxat ad enumerandos calculos seu ad recitationem orationum, non vero ad lucrationem indulgentiarum, in quo casu non amitterentur indulgentiae (D. 151. 13 Feb. 1745).

Art. II.

DE INDULGENTIIS REALIBUS IN PARTICULARI.

§ 1. *De Indulgentiis Apostolicis.*

Indulgentiae *apostolicae* sunt plures indulgentiae tum *partiales* tum *plenariae*, inter quas est etiam indulgentia in *articulo mortis*, quae publicantur a singulis RR. PP. post eorum electionem, acquirendae a fidelibus qui detinent aliquod obiectum cui vel a R. P. vel ab eius Delegato huiusmodi indulgentiae adnexae fuerunt.

Quoad *conditiones* pro *applicatione* indulgentiarum, recole quae diximus supra articulo antecedenti; quoad *conditiones* pro *lucratione*, ad evitandas inutiles repetitiones remittimus lectorem ad Summarium quod subiicimus, in quo huiusmodi conditiones notatae sunt.

" Ut [1]) quis valeat indulgentias lucrari quas Summus Pontifex Leo XIII impertitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui retinent aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, ac numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis, requiritur:

1° Ut Christifideles in propria deferant persona aliquod ex enunciatis obiectis.

2° Quod si id minime fiat, requiritur ut illud in proprio cubiculo, vel alio decenti loco suae habi-

[1]) *Indulgentiae quas SS. D. N. Leo Papa XIII impertitur....* Romae typis S. C. de Propaganda Fide, 1878.

tationis retineant, et coram eo devote praescriptas preces recitent.

3° Excluduntur ab apostolicae benedictionis concessione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae et numismata ex stamno, plumbo, aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta.

4° Imagines repraesentare debent Sanctos, qui vel iam consueta forma canonizati, vel in martyrologiis rite probatis descripti fuerint.

Hisce praehabitis, indulgentiae, quae ex Summi Pontificis concessione ab eo acquiri possunt, qui aliquod ex supradictis obiectis retinet, et pia opera quae ad eas assequendas impleri debent, recensentur.

Quisquis saltem in hebdomada semel recitaverit coronam Dominicam vel aliquam ex coronis B. Virginis Mariae aut rosarium eiusve tertiam partem aut divinum officium, vel officium parvum eiusdem B. Virginis aut fidelium defunctorum, aut septem psalmos poenitentiales aut graduales, vel consueverit catechesim christianam tradere, aut carceribus detentos vel aegrotos in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus opitulari, aut Missae interesse, eamve peragere si fuerit Sacerdos: quisquis haec fecerit vere contritus et peccata sua confessus ad S. Synaxim accedet quolibet ex infrascriptis diebus, nempe Nativitatis Dominicae, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, itemque diebus festis Sanctissimae Trinitatis, Corporis Domini, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. V. Mariae, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, S. Iosephi Sponsi eiusdem B. Mariae Virginis,

Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi, Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Matthiae, et omnium Sanctorum; eodemque die devote Deum exoraverit pro haeresum et schismatum extirpatione, catholicae fidei incremento, pace et concordia inter principes christianos, aliisque S. Ecclesiae necessitatibus; quolibet dictorum dierum plenariam indulgentiam lucrabitur.

Quisquis vero haec omnia peregerit in aliis festis Domini et B. V. Mariae, quolibet dictorum dierum indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum acquiret: quavis Dominica vel alio anni festo indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum lucrabitur: sin autem eadem alio quocumque anni die expleverit, centum dierum indulgentiam acquiret.

Praeterea quisquis consueverit semel saltem in hebdomada recitare aliquam ex coronis aut rosarium, vel officium parvum B. Mariae Virginis, vel fidelium defunctorum, aut vesperas, aut nocturnum saltem cum laudibus, aut septem psalmos poenitentiales cum litaniis adiectis precibus, quoties id peregerit, centum dierum indulgentiam consequetur.

Quisquis in mortis articulo constitutus animam suam devote Deo commendaverit, atque iuxta instructionem fel. rec. Benedicti XIV in Constit. quae incipit *Pia Mater* sub die 5 Aprilis 1747, paratus sit obsequenti animo a Deo mortem opperiri, vere poenitens, confessus et S. Communione refectus, et si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis impeditus fuerit, SS. Nomen Iesu, plenariam indulgentiam assequetur.

Quisquis praemiserit qualemcumque orationem praeparationi Missae vel S. Communionis, aut recitationi divini officii, vel officii parvi B. M. Virginis, toties quinquaginta dierum indulgentiam acquiret.

Quisquis in carcere detentos aut aegrotantes in nosocomiis inviserit, iisque opitulatus fuerit, vel in Ecclesia christianam catechesim tradiderit, aut domi illam suos filios, propinquos et famulos docuerit, toties biscentum dierum indulgentiam lucrabitur.

Quisquis ad aeris campani signum, mane vel meridie aut vespere solitas preces, nempe *Angelus Domini,* aut eas ignorans recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, vel pariter sub primam noctis horam edito pro defunctorum suffragio campanae signo dixerit psalmum *De profundis,* aut illum nesciens recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria,* centum dierum indulgentiam acquiret.

Eamdem pariter consequetur indulgentiam, qui feria sexta devote cogitaverit de Passione ac morte Domini nostri Iesu Christi, terque orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverit.

Is qui suam examinaverit conscientiam, et quem sincere poenituerit peccatorum suorum cum proposito illa emendandi, devoteque ter recitavarit *Pater* et *Ave Maria* in honorem SS. Trinitatis, aut in memoriam quinque Vulnerum Domini nostri Iesu Christi quinquies pronuntiaverit *Pater* et *Ave Maria* centum dierum indulgentiam acquiret.

Quisquis devote pro fidelibus oraverit, qui sunt in transitu vitae, vel saltem pro iis dixerit *Pater noster* et *Ave Maria*, quinquaginta dierum indulgentiam consequetur.

Omnes indulgentiae superius expositae a singulis Christifidelibus vel pro seipsis lucrifieri possunt, vel in animarum Purgatorii levamen applicari.

Expresse declarari voluit Summus Pontifex supradictarum indulgentiarum concessione, nullatenus derogari indulgentiis a Praedecessoribus suis iam concessis pro quibusdam operibus piis superius recensitis: quas quidem indulgentias voluit omnes in suo robore plene manere.

Iubet deinde idem Summus Pontifex indulgentias Christifidelibus concessas, qui retinent aliquod ex praedictis obiectis iuxta decretum sa. me. Alexandri VII editum die 6 Februarii 1657 non transire ab illis pro quibus benedicta fuerint, vel illis quibus ab iis prima vice fuerint distributa: et si fuerit amissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem obiectis, nequire ei subrogari aliud ad libitum, minime obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus in contrarium: nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi ad hoc ut indulgentiam communicent, secus eamdem indulgentiam amittent: itemque recensita obiecta benedicta, vix dum pontificiam benedictionem receperint, nequire venundari, iuxta decretum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praepositae editum die 5 Iun. 1721.

Praeterea idem Summus Pontifex confirmat decretum sa. me. Benedicti XIV editum die 19 Augusti 1752, quo expresse declaratur, vi benedictionis crucifixis, numismatibus etc., uti supra impertitae, non intelligi privilegio gaudere altaria ubi huiusmodi obiecta collocata fuerint, neque pariter Missas quas Sacerdos eadem secum deferens celebraverit.

Insuper vetat, ne qui morientibus adsistunt benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis iisdem impertiantur cum huiusmodi crucifixis, absque peculiari facultate in scriptis obtenta, cum satis provisum fuerit ab eodem Pontifice Benedicto XIV in praecitata Constit. *Pia Mater*.

Tandem Sanctitas Sua vult et praecipit praesentem elenchum indulgentiarum pro maiori fidelium commodo edi typis posse non solum latina lingua vel italica, sed alio quocumque idiomate, ita tamen ut pro quolibet elencho, qui ubicumque et quovis idiomate edatur, adsit approbatio S. Congregationis Indulgentiarum.

Non obstantibus quolibet decreto, constitutione, aut dispositione in contrarium, etiamsi speciali mentione dignis.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum Sacrisque Reliquiis praepositae die 23 Februarii 1878.

A. Card. Oreglia a S. Stephano Praefectus.
A. Panici Secretarius. „

§ 2. *De Indulgentiis Crucium etc. Terrae Sanctae.*

Indulgentiae *crucium*, *coronarum* aut *rosariorum Terrae Sanctae* sunt plures indulgentiae sive *partiales* sive *plenariae* adnexae dictis obiectis per *simplicem tactum* locorum *Terrae Sanctae* atque sacrarum Reliquiarum ibi existentium.

Ex Constit. Innocentii XI *Unigeniti*, diei 28 Ianuarii 1688 referimus indulgentias una cum conditionibus necessariis ad eas lucrandas.

§. 1. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus, Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, super indulgentiis et peccatorum remissionibus, quae a pluribus Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris concessae fuisse asseruntur iis, qui penes se habuerint cruces, coronas, rosaria, vel grana ex lignis ejusdem Terrae Sanctae confecta, variae exortae fuerint dubitationes: adeo ut ex illis aliquae apocryphae et supposititicae existimentur; ac propterea idem Petrus Marinus, Minister Generalis, ut omnes in posterum hac in re controversiae praecidantur, plurimum cupiat opportune in praemissis a Nobis provideri, Nos piis ipsius Petri Marini Ministri Generalis votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes ipsumque a quibusvis etc. censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis etc. inclinati; de Venerabilium Fratrum Nostrorum, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis propagandae Fidei praepositorum, qui hujusmodi rem jussu Nostro mature discusserunt, consilio, omnes et quascumque indulgentias, seu peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quae pro crucibus, coronis rosariis et granis praefatis dictae Sanctae Terrae in perpetuum, seu ad tempus nondum elapsum Apostolica vel alia quavis auctoritate quomodocumque ac quandocumque concessae fuisse dicuntur, harum serie, quatenus opus sit, perpetuo revocantes et annullantes, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, quamdiu cruces, coronas aut rosaria dumtaxat, quae loca Terrae Sanctae hujusmodi, sacrasque

reliquias ibi existentes tetigerunt, penes se habuerint; in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi sacraque Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam; praeterea eisdem, si semel saltem in hebdomada, aut Officium divinum ordinarium, aut Beatissimae Virginis Mariae, aut defunctorum, aut septem Psalmos poenitentiales aut graduales, aut Coronam Domini, vel ejusdem Beatissimae Virginis, aut tertiam partem rosarii recitare: aut christianam doctrinam docere: aut infirmos alicujus hospitalis vel detentos in carcere visitare: seu pauperibus Christi subvenire: vel sacrosanto Missae Sacrificio interesse: vel illud, si sint sacerdotes, celebrare consueverint: ac vere similiter poenitentes et confessi sacerdoti ab Ordinario approbato sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint in aliquo ex diebus infrascriptis: nempe Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis Domini, Pentecostes, festi Sanctissimae Trinitatis, Corporis Christi: Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis Beatae Mariae Virginis: Nativitatis Sancti Joannis Baptistae, Sanctorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi et Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Judae, ac Mathiae Apostolorum et Omnium Sanctorum: atque eo die pias ad Deum preces effuderint pro haeresum et schismatum extirpatione, pro fidei catholicae propagatione, christianorum principum concordia atque aliis sanctae Matris Ecclesiae necessitatibus; in singulis diebus hujusmodi plenariam pariter omnium peccatorum suorum indulgen-

tiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praemissa autem peragentibus in aliis quidem diebus festis Domini Nostri Jesu Christi, vel Beatae Mariae Virginis; septem annos et totidem quadragenas: in quocumque die Dominico, seu alio anni festo, quinque annos et totidem quadragenas: in quolibet vero alio anni die, centum dies: similiter iis, qui detentos in carcere, vel infirmos alicujus hospitalis visitaverint, eis aliquo pio opere subveniendo: aut doctrinam christianam in ecclesia vel domi proprios filios, consanguineos, vel famulos docuerint, quoties haec fecerint, ducentos dies. Illis insuper, qui campanae alicujus ecclesiae ad id dato signo, sive matutino, sive meridiano, sive vespertino consuetas preces *Angelus Domini* etc. vel si eas ignoraverint, semel Orationem Dominicam et semel etiam Salutationem Angelicam: aut pariter dato simili signo pro defunctis Psalmum *De profundis,* vel si illum nesciverint, semel Orationem Dominicam et semel Salutationem Angelicam praefatas recitaverint: quive feria sexta cujuslibet hebdomadae Passionem et Mortem Domini Nostri Jesu Christi devote meditati fuerint, ac ter eo die Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam supradictas dixerint: vel qui cum vero dolore de peccatis et stabili emendationis proposito conscientiam suam examinaverint, ac ter Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam praefatas, sive ter etiam illas in honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, aut quinquies utramque in memoriam quinque plagarum Domini Nostri Jesu Christi de-

vote recitaverint: aut demum qui semel saltem in hebdomada coronam seu rosarium, aut Officium Beatae Mariae Virginis, seu defunctorum, seu Vesperas et unum saltem Nocturnum cum Laudibus, aut septem Psalmos poenitentiales cum Litaniis et precibus recitare consueverint, quo die haec fecerint, ultra indulgentias et peccatorum remissiones, et poenitentiarum relaxationes a fel. rec. Pio PP. V., Praedecessore Nostro iis, qui praemissa peregerint, concessas, centum dies. Iis quoque, qui ante Missae celebrationem, seu Sacram Communionem, seu recitationem Officii divini ordinarii, vel Beatae Mariae Virginis aliquam orationem praeparatoriam fecerint; quoties id egerint: vel qui pro fidelibus in extremo vitae agone constitutis devote oraverint, aut pro illis semel saltem Orationem Dominicam, aut Salutationem Angelicam dixerint, quo die id fecerint, quinquaginta dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino, dicta auctoritate, tenore praesentium relaxamus.

Postremo eisdem, ut omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones praefatas animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, eadem auctoritate, harum serie concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii pubblici subscriptis, et

sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 28 Januarii 1688 Pontificatus Nostri anno duodecimo. (*Rescripta auhentica* pag. 349).

§ 3. *De Indulgentiis crucifixorum.*

Duplex est species indulgentiarum quae adnecti solent *crucifixis,* scilicet indulgentiae *Viae Crucis* et indulgentia plenaria in *articulo mortis.* De crucifixis quibus adnexae sunt indulgentiae *Viae Crucis* loquemur infra, ubi de indulgentiis *Viae Crucis:* quare hic solum aliquid dicendum est de crucifixis, quibus adnexa est indulgentia in articulo mortis, lucranda non solum a possessoribus sed etiam ab aliis.

Iam vero huiusmodi crucifixi duplicis sunt speciei. Alii enim sunt quibus indulgentia haec adnexa est *ipso iure;* alii vero quibus adnexa est *ab homine.*

Exemplum prioris speciei habetur in Societate Iesu et in Ordine Clericorum regularium infirmis Ministrantium. In Summario enim indulgentiarum Soc. Iesu legitur sub n. 12. " Religiosis Societatis deferentibus osculandam vel tangendam imaginem Crucifixi (quam semel electam mutare non licet, nisi in eventu amissionis, cuicumque infirmo confesso et sacra communione refecto, vel saltem invocanti nomen Iesu ut plenariam indulgentiam applicare possint concessit Alexander VII (Infirmis Ministrantibus) Brevi *Ut*

saluti, 25 Ian. 1656 „ (*Rescripta authentica* pag. 613); et in Summario Clericorum regularium infirmis Ministrantium pariter legitur: " Omnibus Professis Ministrantium infirmis conceditur, ut quotiescumque cuiusque propriam I. C. D. N. crucifixi imaginem, quam semel electam, nisi in eventu amissionis mutari nequit, ad quemcumque Christifidelem in articulo mortis deferet, hic si vere poenitens, confessus ac sacra communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Iesu ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit, imaginemque huiusmodi osculatus fuerit seu tetigerit, plenariam indulgentiam consequetur. „ Alexander Papa VII, *Ut saluti,* 25 Ianuar. 1656. (*Rescripta authentica* pag. 635).

Exemplum alterius speciei habetur in concessionibus, quae aliquando fieri solent a R. P. praesertim vivae vocis oraculo, occasione alicuius audientiae, sacerdotibus qui ipsi Pontifici exhibent crucifixos postulantes ut qui fideles moribundi rite dispositi in mortis articulo illum, ab ipsis porrectum, fuerint deosculati valeant indulgentiam in articulo mortis lucrari: habetur etiam in concessione quae pariter fit ab ipso R. P., v. gr. favore alicuius Hospitalis, ut omnes moribundi qui deosculati fuerint crucifixum cui adnectitur indulgentia a quocumque iisdem porrectum valeant eamdem lucrari. Quoad conditiones standum terminis concessionis: quod si nihil Pontifex dixerit, videtur tantummodo sufficere ut moribundus crucifixum deosculetur, vel saltem tangat, et si compos est sui ut SS. Nomen Iesu si non ore, saltem corde pronuntiet.

§ 4. *De Indulgentiis Coronarum.*

Indulgentiae *coronarum* sunt indulgentiae iisdem adnexae, non quatenus simpliciter sunt obiecta quaedam pietatis, sub quo respectu iisdem adnectuntur indulgentiae *Apostolicae* et *Terrae Sanctae,* sed quatenus inservire debent ad enumerandas preces quae cum iisdem recitantur. Adverti autem debet quod *coronae et rosaria* promiscue sumuntur (D. 237. 23 Septem. 1775).

Plures sunt coronarum species, sed nos contenti erimus aliquid tantummodo dicere de *Corona Rosarii S. Dominici*, utpote quae maxime in usu Christifidelium sit, et ab omnibus quotidie recitari deberet; de *Corona S. Birgittae,* passim enim modo una cum facultate benedicendi pietatis obiecta, iisdem adnectendo indulgentias Apostolicas, facultas etiam datur adnectendi indulgentias S. Birgittae, quare necessaria est de his aliqua brevis notitia; tandem loquemur de *Coronis a Crucigeris* benedictis, quae etiam in personarum piarum usu sunt.

CORONA ROSARII S. DOMINICI. [1])

Rosarium B. Mariae Virginis est " certa precandi formula qua quindecim Angelicarum Salutationum decades oratione Dominica interiecta di-

[1]) Sanctissimus D. N. Leo Papa XIII variis datis Encyclicis, scilicet *Supremi Apostolatus,* 1 Septemb. 1883; *Superiore anno,* 30 Aug. 1884; et *Magnae Dei Matris amorem* die 8 Septem. 1892 commendat et praecipit recitationem Ro-

stinguimus et ad earum singulas totidem nostrae Reparationis Mysteria pia meditatione recolimus. „ (*Breviar. Rom.* lect. IV in festo SS. Rosarii). " Spiritu Sancto, ut pie creditur, afflatus B. Dominicus Ord. Fratrum Praedicator. auctor... Rosarium seu Psalte-

sarii durante mense Octobri. Cum vero praescriptiones et indulgentiarum concessiones reassumuntur in Decreto *Urbis et Orbis* S. R. C. die 20 Augusti 1885, easdem ex hoc Decreto referimus. Itaque Sanctissimus D. N. Leo Pp. XIII: " Quoadusque rerum Ecclesiae rerumque publicarum tristissima haec perdurant adiuncta, ac de restituta Pontifici Maximo plena libertate, Deo referre gratias Ecclesiae datum non sit.... decernit et mandat ut quolibet anno a prima die Octobris ad secundam sequentis Novembris in omnibus catholici Orbis parochialibus templis, et in cunctis publicis oratoriis Deiparae dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinarii eligendis, quinque saltem mariani Rosarii decades cum Litaniis Lauretanis quotidie recitentur, quod si in mane fiat Missa inter preces celebretur, si a meridie, sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum adorationi proponatur, deinde fideles rite lustrentur. Optat quoque ut a Sodalitatibus sacratissimi Rosarii religiosae pompae, ubi id per civiles leges licet, publice ducantur... omnibus qui statis diebus publicae Rosarii recitationi interfuerint, et ad mentem eiusdem Sanctitatis Suae oraverint, et his pariter qui legitima causa impediti privatim haec egerint, septem annorum ac septem quadragenarum apud Deum indulgentiam singulis vicibus concedit. Eis autem qui supradicto tempore decies saltem vel publice in templis, vel, legitime impediti, privatim eadem peregerint, sacramentali confessione expiatis et sacra Synaxi refectis plenariam admissorum indulgentiam de Ecclesiae thesauro impertit. Plenissimam hanc culparum veniam et poenarum remissionem his omnibus pariter largitur, qui vel ipso die festo Beatae Virginis Rosario, vel quolibet in octo insequentibus diebus, Sacramenta, ut supra susceperint, et in aliqua sacra Aede iuxta Suam mentem Deo eiusque Sanctissimae Matri sup-

rium eiusdem B. Mariae V. nuncupatum, quo eadem B. Virgo Salutatione Angelica centies et quinquagies, ad numerum Davidici Psalterii repetita, et oratione Dominica ad quamlibet decimam, cum certis meditationibus totam eiusdem D. N. Iesu Christi vitam

plicaverint. Qua de re et illis consulens fidelibus qui ruri viventes agri cultione praecipue Octobri mense detinentur, Sanctitas Sua concedit ut singula superius disposita, cum sacris etiam indulgentiis, eorum in locis, ad insequentes vel Novembris vel Decembris menses prudenti Ordinariorum arbitrio differri valeant. „ Ex decreto vero eiudem S. R. C. die 26 Augusti 1886 (*Collectio authentica decretorum S. R. C.* n. 5975). " Sactitas Sua... indulgere insuper dignata est ut in iis templis seu oratoriis, ubi ob eorum paupertatem expositio cum SSmo Eucharistiae Sacramento; ad tramitem decreti ipsius, solemni modo, nempe per Ostensorium, fieri haud valeat eadem per modum exceptionis peragi possit, prudenti iudicio Ordinarii, cum sacra Pyside, aperiendo sc. ab initio ostiolum ciborii et cum ea in fine populum benedicendo. „ Praeterea idem SSmus D. N. Leo Papa XIII Encyclica *Quamquam pluries* XI Aug. MDCCCLXXXIX (*Acta S. Sedis* XXII. pag. 65 et sqq.) decrevit ut huiusmodi recitationi Rosarii mense Octobri factae addatur sequens

ORATIO AD S. IOSEPHUM

Ad te, Beate Ioseph in tribulatione nostra confugimus, atque, implorato Sponsae tuae Sanctissimae auxilio, patrocinium quoque tuum fidenter exposcimus. Per eam, quaesumus, quae te cum immaculata Virgine Dei Genitrice coniunxit, caritatem, perque paternum, quo puerum Iesum amplexus es, amorem supplices deprecamur, ut ad haereditatem, quam Iesus Christus acquisivit sanguine suo, benignius respicias, ac necessitatibus nostris tua virtute et ope succurras.

Tuere, o Custos providentissime Divinae Familiae, Iesu Christi sobolem electam, prohibe a nobis amantissime Pa-

demonstrantibus interposita veneratur, excogitavit, excogitatam per sacrae romanae Ecclesiae partes propagavit... (S. Pius V. Brevi *Consueverunt,* 17 Septemb. 1569).

Indulgentiae adnexae huic pio exercitio sunt sequentes:

Indulgentia *centum dierum* pro quolibet Pater et Ave, omnibus Rosarium integre vel saltem tertiam eiusdem partem recitantibus.

Indulgentia *plenaria* semel in anno, die uniuscuiusque arbitrio eligenda, iis omnibus qui integrum

ter, omnem errorum ac corruptelarum luem, propitius nobis, Sospitator fortissime, in hoc cum potestate tenebrarum certamine e coelo adesto; et sicut olim puerum Iesum e summo eripuisti vitae discrimine, ita nunc Ecclesiam sanctam Dei ab hostilibus insidiis atque ab omni adversitate defende; nosque singulos perpetuo tege patrocinio, ut ad tui exemplar et ope tua suffulti, sancte vivere, pie emori, sempiternamque in coelis beatitudinem assequi possimus. Amen.

Cuius orationis recitationi indulgentiae sunt adnexae, ut patet ex sequenti *Decreto Urbis et Orbis* S. I. C. die 21 Septemb. 1889 (*Acta S. Sedis,* XXII. pag. 254). " Eadem porro Sanctitas Sua, quae singulis Christifidelibus eamdem Orationem publicae Rosarii recitationi per mensem Octobrem addentibus, indulgentiam *septem* annorum totidemque quadragenarum singulis vicibus acquirendam iam attribuit; in audientia habita die 21 Septembris 1889 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae *motu proprio* eidem Orationi aliam indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, adiicere dignata est *dierum tercentorum* semel in die quovis anni tempore lucrandam ab universis Christifidelibus, qui corde saltem contriti ac devote supramemoratam Orationem etiam privatim recitaverint. „

Rosarium vel saltem tertiam eiusdem partem per integrum annum quotidie recitaverint, dummodo vere poenitentes, confessione ac sacra Communione refecti, pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint.

Praeterea pro recitatione in *communi* facta, sive domi sive in Ecclesiis aut Oratoriis publicis vel privatis, tertiae partis Rosarii:

Indulgentia *decem annorum* et *totidem quadragenarum* semel in die lucranda.

Indulgentia *plenaria* postrema Dominica cuiuslibet mensis lucranda, dummodo tertiam Rosarii partem recitaverint tribus saltem vicibus in hebdomada, et vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti Ecclesiam vel publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquot temporis spatium preces iuxta intentionem Suae Sanctitatis fuderint. (*Raccolta* pag. 205).

Conditiones pro *applicatione* indulgentiarum.

Ex parte *applicantis* requiritur; 1° facultas vel a S. Sede vel a Generali Ordinis Praedicatorum; 2° ut benedicat coronam formula praescripta (D. 401. 29 Febr. 1864).

Ex parte *coronae* 1° ut corona coalescat vel quindecim vel decem vel quinque globulorum decadibus; 2° ut corona consuetam formam habeat. Quare non applicantur indulgentiae Rosarii annulis in quibus sculpti sunt globuli decem ad recitandum Rosarium vel tertiam eius partem (D. 257. 2 Iun. 1836).

Pro *lucratione* indulgentiarum:

Requiritur 1° ut quindecim decades vel saltem

quinque recitentur uno tractu moraliter sumpto. (D. 385. 22 Ianuar. 1858).

2° Ut corona manu teneatur atque volvatur dum Ave Maria atque Pater recitantur. Ex Indulto Pii IX (D. 384. 22 Ianuar. 1858), quando in communi recitatur Rosarium, sufficit ut una tantum persona, quaecumque ea sit de communitate, coronam in manu teneat eaque in recitatione de more utatur, dummodo alii, ceteris curis semotis, se componant pro oratione facienda una cum persona quae tenet coronam.

3° Meditatio mysteriorum Reparationis nostrae eodem tempore quo recitantur oratio Dominicalis et Salutationes Angelicae. Exceptio est pro personis vere rudioribus et meditationi minus idoneis, quae ex Constit. *Pretiosus* 25 Maii 1723 § 4. Bened. XIII lucrari possunt indulgentias si devote et pie Rosarium recitent. Tamen idem Benedictus XIII vult ut huiusmodi personae assuescant, iuxta Rosarii scopum, meditationi sanctissimorum Reparationis nostrae mysteriorum.

Quamvis autem libera sit electio mysteriorum quae recoli debent, tamen consuetudo invaluit ut per gyrum cuiuslibet hebdomadae singula mysteria ita recolantur, nempe gaudiosa in II et V feria, dolorosa in III et VI feria, gloriosa tandem in Dominica, IV feria et Sabbato. (D. 273. 1 Iul. 1839).

Ex dictis sequitur 1° non esse necessariam *oblationem* specialem sive enunciationem mysteriorum antequam singulae decades recitentur (d. c.). Haec tamen oblatio commendanda ad reddendam faciliorem meditationem.

2° Multo magis non esse necessariam mentionem specialis mysterii in recitatione Salutationis Angelicae, dicendo v. gr. post haec verba *ventris tui Iesus,* haec alia, *quem concepisti* etc.

CORONAE S. BIRGITTAE. [1])

Corona S. Birgittae instituta a S. Birgitta in memoriam annorum, quos in terris B. Virgo Dei Genitrix transegisse fertur, constat sex decadibus et

[1]) Ad ampliorem notitiam harum coronarum hic referimus ea quae de eiusdem habet opusculum cui titulus - *Facultas benedicendi coronas cum applicatione indulgentiarum S. Brigidae nuncupatarum Ordini canonicorum regularium SS. Salvatoris Lateranensis attributa,* Romae ex typ. fratrum Monaldi 1878; " Brigidas sive, ut aiunt, Birgittas duas veneratur Ecclesia Dei quae interdum licet perperam confunduntur. Altera, quae in Hybernia, S. Patricio auspice ac duce Canonissarum Regularium institutum et secuta est et mirifice propagavit. Altera Svedensis de qua agimus, cuius praeclara sunt Religionis exempla et incitamenta, Revelationes nempe illae quae Ecclesia magno semper in honore habuit, Ordo SSñi Salvatoris quem in Wastanensi Monasterio instituit sub regula S. Augustini tam pro viris quam pro mulieribus ita ut eidem Ecclesiae distinctis horis ac locis Deo Salvatori inservirent fratres et sanctimoniales, et inter cetera, institutio Coronae in memoriam annorum quos in terris B. Virgo Dei Genitrix transegisse fertur. Corona haec constat sex decadibus et in qualibet decade recitatur oratio Dominica, Angelica Salutatio decies repetita et Apostolorum Symbolum, et in fine aliud *Pater noster* cum tribus aliis angelicis salutationibus. Virtutem quam Deus huic Coronae contulit fideles vel ab ipsa institutione experti sunt, et celebre factum est quod enarrat Surius (die 23 Iulii) de aegrota quadam, cuius salus omnino conclamata erat, quam S. Birgitta admovens

in qualibet decade recitatur oratio dominica, angelica salutatio decies repetita et Apostolorum symbolum et in fine aliud *Pater noster* cum tribus aliis salutationibus angelicis.

Conditiones pro *applicatione* indulgentiarum ex parte *applicantis* requiritur 1° facultas sive a S. Sede

Coronam suam illico integrae valetudini Romae restituit. Hinc cum in dies excrescerent Coronae ipsius usus et cultus, peculiaribus eam indulgentiis donarunt Romani Pontifices Leo X praesertim, Clemens XI et Benedictus XIV, ut allato hic Elencho apparet, ea autem lege ut benedicenda esset nonnisi a Patribus Ordinis SS. Salvatoris quos Sancta ipsa instituerat.

Verum ut indulgentiarum huiusmodi beneficium latius propagaretur, easdem concessere deinde Romani Pontifices Coronis communibus B. Mariae Virginis seu Rosariis vel quinque vel quindecim decadum, et cum in finem elapsi saeculi Ordo S. Brigidae plane senesceret, usque ad extinctionem, facultas benedicendi Coronas communes cum applicatione indulgentiarum S. Brigidae transiit sensim in Ordinem Canonicorum Regularium SS. Salvatoris Lateranensium, ea fortasse de causa quod hic Ordo cum Ordine S. Brigidae societatem nominis, regulae et institutorum aliquot habeat.

Cum vero authentica huiusce facultatis monumenta minime reperirentur fortasse ex iacturis quas saeculo XVIII exeunte et anno 1849 Romanum Canonicorum Regularium Tabularium fecerat, hinc Abbas Generalis Canonicor. Regul. SS. Salvatoris Lateranen. ut omnis incertitudo ac dubitatio submoverentur, rerum omnium serie exposita a SS. D. N. Pio Papa IX humiliter petiit ut de Apostolica benignitate consulere dignaretur. Annuit quidem votis Clementissimus Pater, et per Litteras in forma Brevis *Exponendum Nobis nuper*, die 5 Aprilis 1864, et, ut ibidem legitur, *ad memorati Ordinis qui viris bene de re catholica meritis semper eluxit, decus augendum animarumque salutem procurandam*, haec

sive ab Abbate generali canonicorum regularium S. Augustini congregationis SSm̄i Salvatoris, Lateranensis; 2° licet approbata adsit formula benedictionis tamen non necessario sequenda etiam ab illis qui facultatem habuerint a supradicto Abbate. Quare sufficit, ut pro indulgentiis apostolicis, signum Crucis; ex parte *obiecti* seu coronae, corona potest esse sex decadum vel etiam corona ordinaria quinque vel decem decadum.

Pro *lucratione* indulgentiarum; ad evitandas inutiles repetitiones confer sequens summarium indulgentiarum.

Summarium Indulgentiarum Rosariis, seu Coronis S. Birgittae nuncupatis per PP. Superiores Monasteriorum, aut alios Sacerdotes Ordinis Sanctissimi Salvatoris ad id deputatos benedictis concessarum.

Sanctissimus Dominus N. Benedictus Papa XIV Rosarii, seu Coronis S. Birgittae nuncupatis per PP.

confirmavit, et quatenus opus sit, de novo tribuit atque concessit:

I. Ut Superior Generalis et Superiores locales Ordinis facultate gaudeant benedicendi Coronas precatorias ad quemcumque numerum cum applicatione indulgentiarum S. Birgittae nuncupatarum.

II. Ut eamdem facultatem impertiri valeant Sacerdotibus sui Ordinis.

III. Ut Abbas Generalis *pro tempore* subdelegare in perpetuum possit Sacerdotes saeculares et regulares cuiuscumque Ordinis atque Instituti ad benedicendas Coronas ut supra usque ad n. 300 extra urbem de consensu Ordinariorum. „

Superiores Monasteriorum, aut alios Sacerdotes Ordinis Sanctissimi Salvatoris, sive eiusdem S. Birgittae ad id deputatos benedictis praeter indulgentias a sa. me. Leone X et Clemente XI ut infra concessas, et a S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sub die 4 Decembris 1714 recognitas et approbatas, alias per suum Breve diei 15 Ianuarii 1743 novissime addidit atque concessit:

I. Qui pro suo arbitrio Rosarium seu Coronam S. Birgittae nuncupatae, ut supra, benedictam devote recitaverit, centum dierum pro qualibet oratione Dominica et pro qualibet salutatione Angelica, nec non centum dierum pro quolibet, si dixerit, symbolo Apostolico indulgentiam lucrabitur. Leo X 6 Idus Iulii 1515.

II. Qui dictum Rosarium, seu Coronam integram quindecim decadum recitaverit, praeter praedictas centum dierum, etiam septem annorum totidemque quadragenarum indulgentiam acquiret. Idem Leo X loc. cit.

III. Qui idem Rosarium, seu Coronam cum alio vel aliis recitaverit, omnes et singuli recitantes easdemmet indulgentias, perinde ac si quisque seorsim id egerit, consequentur. Idem Leo X loc. cit.

IV. Quilibet easdem indulgentias aut sibi acquirere, aut per modum suffragii animabus Purgatorii applicare valet. Benedictus XIV 10 Martii 1742.

V. Qui dictam Coronam quinque saltem decadum per integrum annum quotidie recitaverit, et vere poenitens, confessus ac S. Communione refectus, pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione et S. Matris Ecclesiae exaltatione

pias ad Deum preces effuderit, die per unumquemque semel in anno plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam cum facultate illam etiam per modum suffragii animabus fidelium defunctorum applicandi, adipiscetur. Clemens XI 22 Sept. 1714.

VI. Qui saltem semel in hebdomada dictam Coronam quinque saltem decadum recitare consueverit, et in festo eiusdem S. Birgittae confessus et S. Communione refectus propriam cuiusque parochialem Ecclesiam devote visitaverit, ac in ea, ut praefertur, oraverit, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam assequetur. Bened. XIV 15 Ian. 1743.

VII. Qui in *articulo mortis* constitutus animam suam Deo devote commendans, praemissa peccatorum suorum confessione, sumptaque Sanctissima Eucharistia, si potuerit, sin minus, elicita cordis contritione, ore si potuerit, alioquin corde saltem Iesus Nomen invocaverit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequetur. Idem loc. cit.

VIII. Qui eamdem Coronam per mensem continuum quotidie recitaverit, et confessus ac S. Communione refectus die intra eiusmodi mensem per unumquemque eligenda aliquam Ecclesiam devote visitaverit, ac in ea Deum, prout supra, oraverit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam lucrabitur. Idem loc. cit.

IX. Qui eamdem Coronam penes se deferens pro Christifidelibus in agone constitutis ad signum campanae flexis genibus Deum deprecabitur, qua vice id egerit, indulgentia dierum quadraginta fruetur. Idem loc. cit.

X. Qui apud se dictam Coronam habens vere pec-

catorum suorum poenitens conscientiam suam examinaverit, ac ter orationem Dominicam et ter Salutationem Angelicam recitaverit, indulgentia viginti dierum gaudebit.

XI. Qui ipsam Coronam retinens sacrosancto Missae Sacrificio quocumque feriato vel festivo die, aut verbi Dei praedicationi devote interfuerit, aut Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur associaverit: aut devium aliquem ad viam salutis reduxerit; vel in honorem D. N. Iesu Christi, seu B. Mariae Virginis, aut eiusdem S. Birgittae quodcumque pium opus peregerit, et ter orationem Dominicam, terque Salutationem Angelicam recitaverit, indulgentiam centum dierum consequetur. Idem loc. cit.

XII. Quilibet omnes et singulas praefatas indulgentias, ac peccatorum remissiones nec non poenitentiarum relaxationes aut sibi, aut per modum suffragii animabus fidelium defunctorum applicare poterit. Idem loc. cit.

Ad lucrifaciendas omnes et singulas praedictas indulgentias eiusmodi Coronae seu Rosaria a praefatis PP. Ordinis Sanctissimi Salvatoris, sive S. Birgittae debent esse prius benedicta, aliter nulla prorsus gaudent indulgentia.

Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praeposita innovando Decreto die 26 Novembris 1714 vetuit ne eiusmodi Coronae seu Rosaria, utpote benedicta vendantur, aut alteri commodentur, aut precario dentur, alioquin careant indulgentiis iam concessis, et aliqua perdita altera pro ea subrogari nullo modo possit, nisi a quibus supra bene-

dicta fuerit. Insuper ad humillimas preces moderni praedicti Ordinis Procuratoris Generalis suprascriptum Indulgentiarum Summarium, annuente ad relationem per me infrascriptum Secretarium factam Sanctissimo D. N. Benedicto PP. XIV sub die 9 Februarii 1743 quocumque idiomate in quibuslibet locis catholicis imprimi posse censuit.

A. Card. S. Clementis

A. M. Erba Prot. Ap. Secr.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium uti authenticum recognovit typisque imprimi ac publicari permisit. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 9 Iulii 1878.

CORONAE BENEDICTAE A CRUCIGERIS. [1])

Coronae per Crucigeros benedictae habent adnexam indulgentiam *quingentorum* dierum, quoties oratio dominica vel salutatio angelica devote cum

[1]) Admonendi sunt fideles ne huiusmodi coronae in detrimentum cedant Rosarii S. Dominici; devotio enim Rosarii quam maxime semper commendata est a sanctis viris atque a RR. PP. Sufficeret legere quae de hac devotione habet SS. D. Noster Leo XIII in Encyclica die VIII septembris anno MDCCCXCII, cuius conclusio haec est " Ergo Rosarium Mariae Virginis, in quo apte utiliterque habentur coniuncta et eximia precationis formula et idoneum fidei conservandae instrumentum, et insigne specimen perfectae virtutis, dignum plane est quod veri nominis christianis sit frequenter in manibus, piaque recitatione et meditatione colatur „:

iisdem recitatur. (D. S. I. C. die 15 Martii 1884 in *Acta S. Sedis,* vol. XVI, pag. 404). Pro applicatione indulgentiarum requiritur ut coronae benedictae sint a Magistro generali Ordinis Sanctae Crucis vel a sodalibus eiusdem Ordinis a Magistro generali ad id specialiter deputatis ; nulla est forma specialis pro his coronis : sufficit ut sit corona B. M. V.

§ 5. *Indulgentiae statuae S. Petri.*

Indulgentia quinquaginta dierum, singulis vicibus, concessa iis qui vere penitentes devote deosculantur pedem statuae aeneae S. Petri in Basilica Vaticana, ac simul preces fundunt pro concordia principum christianorum haeresum extirpatione et exaltatione S. Matris Ecclesiae.

Item indulgentia quinquagenta dierum semel in die lucranda ab iis qui detinentes parvam statuam S. Petri ad similitudinem illius quae in Basilica Vaticana colitur, illius Pedem modo dicto deosculentur, quam indulgentiam lucrari possunt singuli de eadem familia qui una simul morantur. Sed requiritur ut eadem parva statua a Romano Pontifice fuerit benedicta.

(*Raccolta* pag. 385 ; — *Indulgenze della Sacrosanta Basilica Vaticana pel sacerdote Filippo Ma-*

monendi pariter sunt fideles ac praesertim piae personae ne in seligendis pietatis atque charitatis operibus, sicut etiam piis associationibus, ducantur, hebraico more, ex calculo, librantes veluti in statera indulgentias ac privilegia, sed potius ex maiori charitatis fervore quam ex iisdem sperare possunt.

ria Mignanti beneficiato in quella. Roma, Tipografia di Giovanni Cesaretti; cap. 13 della statua di S. Pietro, pag. 81).

CAPUT III.

De Indulgentiis localibus.

Indulgentiae locales sunt indulgentiae quae adnexae sunt alicui loco (v. s. pag. 8) et sunt vel stricte locales vel late locales seu mixtae (l. c.); item stricte locales vel sunt adnexae loco intuitu et favore ipsius loci vel non (v. s. pag. 75).

Haec prae oculis habenda sunt ut recte iudicetur de eiusmodi indulgentiis ac praesertim quoad earumdem suspensionem cessationem et translationem.

Advertendum est etiam quod indulgentiae hae obtineri possunt vel immediate vel per communicationem. In appendice referemus indulgentias quae obtinentur per aggregationem Basilicis S. Petri in Vaticano et S. Joannis in Laterano.

His praemissis aliquid dicemus de praecipuis indulgentiis localibus.

Art. I.

DE INDULGENTIIS STATIONALIBUS.

§ 1. *De notione.*

Indulgentiae stationales sunt indulgentiae quae acquiruntur a visitantibus Ecclesiam in qua locum habet statio.

" A primis Ecclesiae saeculis originem ducit pia praxis visitandi Romae Ecclesias *stationales* nuncu-

patas ; in quibus servantur venerabiliores sanctorum memoriae, ac praecipue martyrum. Certis anni diebus illuc populus, clerus ac ipse Pontifex processionaliter ad orandum accedebant. Tam pia ac vetusta devotio, constanter servata, impulit S. Gregorium Magnum ad ordinandas ipsas stationes, determinando Ecclesias quae visitari deberent non solum in quadragesima, sed etiam in aliis anni temporibus ac diebus ; quas Ecclesias, teste Johanne diacono in ipsius vita (lib. II, cc. 2 et 6), ut in Missali Romano describerentur decrevit. „ (*Raccolta* pag. 465).

§ 2. *De Indulgentiis.*

Ad excitandos fideles ad visitationem Ecclesiarum diebus pro statione adsignatis tam ipse Gregorius Magnus quam ipsius successores plures indulgentias concesserunt quae iuxta decretum S. I. C. 9 Julii 1777 sequentes sunt.

" Quamvis Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, cui demandata est cura circa rectam et prudentem indulgentiarum administrationem, usque ab anno 1676 interrogata, quae essent indulgentiae Stationum, plenariae ne, an partiales, dierum vel annorum, decreverit, indulgentias Stationales simpliciter enuntiandas esse, non addendo plenariae illae sint an partiales; attamen cum eidem Sacrae Congregationi postmodum innotuerit, nonnullos etiam ecclesiasticos viros, atque ecclesiarum rectores allato decreto minime acquiescentes, diversimode interpretatos fuisse indulgentias Stationales, quarum elenchi typis editi mire inter se discrepan-

tes in vulgus prodierunt; cumque inde relatum fuerit, plurima originem duxisse inter fideles dissidia, abusus et scandala, hinc ut ista penitus amoveantur, utque Christifideles scire possint, quid sibi indulgentiarum in huiusmodi Stationibus obeundis concessum sit; Sacra eadem Congregatio habita in Palatio Quirinali die 7 Iulii 1777 re, praevio diligenti ac maturo examine, discussa, fuit in voto, consulendum Sanctissimo, praevia revocatione aliarum indulgentiarum, pro concessione indulgentiae pleniariae in aliquibus festis solemnibus; partialis vero in reliquis, ad normam earum, quae conceduntur in capellis Pontificiis, videlicet:

In Quadragesima: In feria IV Cinerum, et Dominica IV, indulgentia quindecim annorum totidemque quadragenarum. — Dominica Palmarum, viginti quinque annorum totidemque quadragenarum. — Feria V in Coena Domini, plenaria. — Feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto, triginta annorum totidemque quadragenarum. — In reliquis tam Dominicis, quam feriis, decem annorum totidemque quadragenarum.

In Paschate Resurrectionis D. N. I. C., In Dominica, indulgentia plenaria. — In duobus aliis festis diebus immediate sequentibus et per totam octavam usque ad Dominicam in Albis inclusive, quotidie triginta annorum totidemque quadragenarum.

Die Ascensionis: Indulgentia plenaria.

In Pentecoste: In Sabbato ante Dominicam, decem annorum totidemque quadragenarum. — In Dominica et aliis infra octavam diebus usque ad Sabba-

tum inclusive, quotidie indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

In Dominicis Adventus: In Dominica I, II et IV, indulgentia decem annorum totidemque quadragenarum. — In Dominica III, quindecim annorum totidemque quadragenarum.

In Nativitate D. N. I. C.: In Vigilia, Nocte, ac Missa Aurorae, indulgentia quindecim annorum totidemque quadragenarum. — In die, indulgentia plenaria. — In subsequentibus tribus diebus festis, et in Circumcisione ac Epiphania Domini, necnon in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum. — In tribus feriis Quatuor Temporum, decem annorum totidemque quadragenarum. — In festo S. Marci Evangelistae ac tribus feriis Rogationum, indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

Factaque de his omnibus per me infrascriptum eiusdem Sacrae Congregationis Secretarium relatione SS. D. N. in audientia diei 9 Iulii 1777, Sanctitas Sua ipsius Sacrae Congregationis votum benigne approbavit, illudque cum novo indulgentiarium Stationalium praeinserto elencho publicari mandavit, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 9 Iulii 1777.

Insuper Summus Pontifex Leo XII Rescripto S. I. C. 28 Februarii 1827 concessit indulgentiam *quadraginta annorum* et totidem *quadragenarum* devote visitantibus Romae Ecclesias in quibus est statio, tempore tamen solummodo quadragesimali et

iuxta peculiarem praescriptum modum, atque indulgentiam *plenariam* iis qui tribus vicibus visitationem hanc peregerint.

§ 3. *De conditionibus.*

Ad lucrandas indulgentias descriptas in Decreto 9 Julii 1777 requiritur *visitatio* Ecclesiae stationalis die a Missali Romano determinato, et si agatur de plenaria requiritur insuper *confessio* ac *communio*.

Ad lucrandas praeterea indulgentias concessas a Leone XII; requiritur ut visitatio fiat iuxta modum praescriptum qui sequens est: " Visitari in primis debet alia Ecclesia non longe ab Ecclesia stationali, atque inibi preces fundere coram SSmo Sacramento, B. M. V., ac SS. Martyribus. Indeque, recitando psalmum Miserere, quinquies Pater, Ave et Gloria, et gradus Passionis D. N. J. C. accedere ad Ecclesiam stationalem in eaque recitare litanias SSorum cum versiculis et orationibus assignatis, ps. De profundis etc.

" Personae idiotae vel quae ad manus non habent librum in quo eiusmodi preces referuntur, easdem indulgentias lucrari poterunt, si fuderint in dictis visitationibus preces quas devotio eis suggeret, et transeuntes ex prima Ecclesia ad Ecclesiam stationalem tertiam partem Rosarii cum litaniis recitaverint et in fine psalmum De profundis vel Pater, Ave et Requiem pro animabus Purgatorii. „ (*Raccolta* pag. 473).

" Religiosae ac in genere omnes personae in monasteriis, ac communitatibus viventes indulgentias

a Leone XII concessas lucrari possunt, dummodo visitaverint proprias Ecclesias modo superius descripto; quin imo et infirmi atque captivi, facultate facta eorum confessariis commutandi in alia pia opera, ea quae ab iisdem peragi nequeunt.„ (*Raccolta* pag. 474).

Art. II.

DE INDULGENTIIS PRO VISITATIONE SEPTEM URBIS ECCLESIARUM.

Devote visitando a primis Vesperis usque ad occasum solis diei sequentis septem urbis Basilicas sc. S. Petri in Vaticano, S. Pauli extra muros, S. Sebastiani extra muros, S. Joannis Lateranensis, S. Laurentii extra muros, S. Crucis in Hierusalem, S. Mariae Maioris lucrantur generatim omnes Indulgentias, quibus RR. PP. ditarunt has Basilicas et speciatim Indulgentiam plenariam concessam per Breve Pii IX 26 Januarii 1866. (*Raccolta* pag. 472).

Conditiones ad lucrandas has indulgentias sunt, praeter *visitationem, confessio, communio ac preces* iuxta intentionem Pontificis ; in specie vero quoad indulgentiam plenariam concessam a Pio IX, praeter confessionem et communionem, requiritur ut septem Basilicae visitentur intra descriptum temporis spatium, sc. a primis vesperis usque ad occasum solis diei sequentis, interim preces fundendo pro principum christianorum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione. Quoad visitationem Basilicarum nullus est praescriptus Ordo.

Art. III.

DE INDULGENTIIS PRO VISITATIONE 7 ALTARIUM PRIVILEGIATORUM URBIS BASILICARUM.

Antiquissimus mos est visitandi septem Basilicarum urbis altaria privilegiata ac potissimum in Basilica S. Petri, cuius altaria privilegiata sunt sequentia. 1. B. Mariae Virginis de succursu, *Gregorianum* nuncupatum, 2. SS. Processi et Martiniani, 3. S. Michaelis Archangeli, 4. S. Petronillae, 5. B. Virginis a Columna, 6. SS. Apostolorum Simonis et Judae, 7. S. Gregorii Magni.

Jam vero Christi fideles qui rite dispositi haec altaria devote visitaverint uno tractu plures Indulgentias lucrantur; at quaenam sint eiusmodi indulgentiae Tr. Theod. (p. II, c. 1. a III) notat non unam esse scriptorum sententiam; nec ipsa *Raccolta* eas determinat. (*Raccolta* pag. 475).

Art. IV.

DE INDULGENTIA PORTIUNCULAE.

§ 1. *De notione.*

Indulgentia *Portiunculae* est indulgentia Plenaria *toties quoties* lucranda a Fidelibus visitantibus die 2 Augusti a 1. Vesperis usque ad occasum solis Basilicam S. Mariae Angelorum prope Assisium sitam, vel aliquam Ecclesiam Ordinis S. Francisci, vel alias Ecclesias quibus adnexa est ex Apostolico privilegio.

Huius singularis indulgentiae ita a *Raccolta* (pag. 276) exponitur historia, ‘ Prope Assisium in parva Ecclesia B. M. V. *Angelorum,* vulgo *della Porziuncola* nuncupata, S. Franciscus enixe petiit a D. N. J. C., ut plenariam indulgentiam omnibus christifidelibus, qui vere poenitentes ac confessi eam devote visitassent, concederet. Annuit Dominus noster, servi sui precibus, intercessione ipsius B. M. V. suffultis et petitam indulgentiam concessit, ea tamen conditione ut confirmationem a Summo Pontifice tunc Honorio III, tamquam a suo Vicario obtineret. Pontifex porro certior factus id esse ex voluntate Dei, anno 1223 confirmavit in perpetuum dictam plenariam indulgentiam lucrandam die 2 Augusti, qua die celebratur dedicatio ipsius Ecclesiae quae postea magnifice ampliata fuit et titulo Basilicae decorata. „ Praeter alia specialia, huius indulgentiae est cara„cter propius ut lucrari possit *toties quoties;* hinc si plenaria indulgentia aliis Ecclesiis tribuatur simili modo lucranda, communiter dicitur concedi ad *instar Portiunculae.*

§ 2. *De conditionibus.*

Conditiones ad acquisitionem huius indulgentiae sunt: 1. *Visitatio* Ecclesiae, 2. *Confessio* et *Communio,* quae non est necesse ut fiat in ipsa Ecclesia, cui est adnexa indulgentia.

Art. V.

DE INDULGENTIIS SCALAE SANCTAE.

" Inter obsequia, quae sacrosanctis religionis nostrae divinis mysteriis Christifideles deferre consueverunt, illud potissimum Deo pergratum, et iisdem utile accidit, ut Passionis Salvatoris Nostri Iesu Christi mysteria recolentes, et abstrahantur a noxiis et ad salutaria dirigantur. Qua re SS̃mus D. N. Pius PP. VII ad augendam fidelium devotionem, fovendamque et excitandam memoriam erga monumenta Passionis Christi, et maxime praeclarum illud Scalae sanctae, in qua Redemptor Dominus per singulos gradus non semel tantum ascendit, et Sanguine suo pretioso consecravit; volensque, ut dignis frequentetur honoribus, et simul fideles ad illud confluentes beneficia maiora pertrahant, nec non ad defunctorum levamen et solatium redundet, reserandos propterea sibi esse thesauros Ecclesiae censuit, ac supplicationibus Capituli et Canonicorum Patriarchalis Lateranensis Basilicae super hoc porrectis, atque inhaerendo concessionibus fel. rec. Leonis PP. IV, et Paschalis PP. II Praedecessorum suorum, qui singulis utriusque sexus Christifidelibus corde saltem contrito orantibus, vel meditantibus Passionem D. N. I. Christi, et praelaudatam Scalam sanctam flexis genibus ascendentibus indulgentiam *novem annorum* pro quolibet gradu concessere, easdem indulgentias idem Sanctissimus non modo perpetuis futuris temporibus, et absque ulla Brevis expeditione valituras confirmavit, sed, quatemus opus sit, de novo imper-

titus est; et ut animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae migraverint, per modum suffragii applicari possint, in Domino pariter concessit.„ Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 2 Septembris 1817. (*Rescripta authentica* pag. 120).

Ex concessione vero Pii IX die 19 Decembris 1886 (*Raccolta* pag. 120) omnes christifideles qui vere poenitentes confessi et communione refecti, orantes vel meditantes Passionem D. N. I. Christi flexis genibus scalas quae proxime a lateribus ipsius Scalae Sanctae sunt ascendent, a festo omnium Sanctorum ad integram Octavam Commemorationis omnium fidelium defunctorum, a festo S. Natalis ad Ephifaniam inclusive, et toto quadragesimali tempore, easdem indulgentias lucrabuntur ac si Scalam ipsam Sanctam ascenderent.

Art. VI.

DE INDULGENTIIS VIAE CRUCIS.

§ 1. *De notione.*

Via Crucis est " pium exercitium quo tota Dominicae Passionis series pictis tabulis, ubi commode fieri potest, expressa, inque plures stationes distributa, eo modo quo peregrini Civitatis S. Hierusalem loca ipsa ubi Christus passus est, recolentes et frequentantes invisunt, contemplanda proponitur. „ (Cfr. Const. Benedicti XIII *Inter plurima* v Nonas Mart. 1726).

§ 2. *De Indulgentiis.*

Indulgentiae quae per hoc exercitium acquiruntur sunt eae eaedem quas quis lucrifaceret, si personaliter visitaret stationes Viae Crucis in Hierusalem. Sunt autem plures tam *plenariae*, quam *partiales*. (Cfr. *Instructio de Stationibus Viae Crucis*, editio 2ª n. 39). Attamen prohibitum est " publicari ex pulpitis aut alia forma, multoque minus scribi in aediculis sive stationibus certus et determinatus numerus indulgentiarum lucrandarum. „ Monitum IX. (D. 100. 3 Apr. 1731). Hae autem omnes indulgentiae applicabiles sunt animabus Purgatorii.

Quaestio fit a DD. an indulgentiae Viae Crucis lucrifieri possint pluries in die.

Cum ex documentis non constet indulgentias pro pio exercitio Viae Crucis concessas toties lucrari posse quoties praefatum pium exercitium iteratur (*Rescripta auth.* n. 443), quaestio solvenda est ex principiis generalibus. Atqui ex Decreto S. I. C. " semel dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri potest. „ (D. 18. 17 Mart. 1678). Ergo indulgentiae plenariae huic pio exercitio adnexae, unica tantum vice acquiri posse videntur. Inutile tamen non erit pluries in die hoc pium exercitium repetere non solum ad fovendam pietatem, sed etiam ad ceteras indulgentias partiales acquirendas, relate ad quas nullum est Decretum quod obstet posse toties quoties acquiri.

§ 3. *De conditionibus.*

Ex conditionibus aliae requiruntur ad canonicam *erectionem*, aliae vero ad ipsum *exercitium.*

Conditiones pro *erectione.*

Requiritur 1° *auctoritas* in erigente.

Auctoritas *ordinaria* et *suprema* residet in Romano Pontifice, qui eam exercere solet per Sacras Congregationes.

— *ordinaria* et *subordinata* residet *privative* in Ordine regularis et strictioris observantiae S. Francisci, qui militat sub immediato regimine Ministri Generalis totius Ordinis et componitur de Observantibus, Reformatis, Recollectis et Discalceatis. In Ordine vero hac auctoritate pollent omnes Superiores etiam Vicarii, dummodo vices Superiorum gerant.

— delegata in omnibus illis quibus commissa est a Romano Pontifice vel ab Ordine S. Francisci. Quoad delegatos observandum est in *genere a)* quod omnes delegati sive a R. P. sive ab Ordine S. Francisci exhibere debent Ordinario facultatem erigendi stationes Viae Crucis. Excipiuntur delegati qui ad Ordinem S. Francisci pertinent; *b)* deputatio Sacerdotis erigentis fieri debet in scriptis, sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae (D. 175. 8 Aug. 1748).

In *specie* vero quoad *delegatos a R. P.* inspiciendus est tenor concessionis; quoad *delegatos ab Ordine S. Francisci* advertendum est *a)* quod omnes Superiores Ordinis delegare possunt sibi subditos Religiosos, dummodo sint confessarii approbati vel concionatores; *b)* solum Superiores Generales delegare

possunt extraneos et quidem etiam cum facultate subdelegandi;

2° *Consensus Ordinarii* loci in quo erigenda est Via Crucis, qui in scriptis dari debet sub poena nullitatis (D. 175. 3 Aug. 1748) et quidem pro unaquaque stationum Viae Crucis erectione, quin sufficiat consensus generice praestitus pro erigendis stationibus in certo numero ecclesiarum vel oratoriorum sine specifica designatione loci (D. 405. 21 Iun. 1879);

3° *Consensus Parochi* vel *Superiorum loci* in quo erigenda est Via Crucis, qui quidem consensus et ipse, uti dictum est, in scriptis dari debet sub poena nullitatis (D. 175. 3 Aug. 1748), quando agitur de erigendis stationibus Viae Crucis extra ambitum conventuum Fratrum Ordinis S. Francisci (D. 194. 28 Aug. 1752);

4° *Locus aptus.* Quilibet locus aptus est, dummodo decens et irriverentiis minime obnoxius (Mon. III). Quare Clemens PP. XIII commisit confessario alicuius monasterii ut Viam Crucis ex loco, quo Moniales ad profanos usus utebantur sc. ad recreationes instituendas, amoveret et ibidem nunquam in futurum collocari permitteret (D. 236. 7 Aug. 1767). Saepe tamen in tenore concessionis limitatur facultas solum ad publicas Ecclesias, quarum nomine veniunt etiam Oratoria auctoritate Episcopi instituta et per viam publicam ingressum habentia (D. 365. 12 Mart. 1855). Antiquitus interdicta erat erectio stationum in locis ubi erant Conventus Fratrum Minorum, in aliis Ecclesiis eidem Ordini Minorum minime subiectis (Mon. X), quae limitatio ablata est a Pio IX (D. 429. 14 Maii 1871);

5° *Benedictio quatuordecim Crucium.* Licet ex usu generali apponantur tabulae pictae repraesentantes Christi passionem, tamen hae necessariae non sunt, cum indulgentiae applicentur solum crucibus quae possunt etiam seiunctae esse a tabulis (D. 332. 15 Nov. 1825). Cruces autem debent esse ligneae et huiusmodi magnitudinis ut visibiles sint. Possunt inaurari aut aliquo calcu infici atque etiam ornamentis metallicis instrui. Ex Decreto 442, 23 Novemb. 1878 prohibentur cruces ferreae quae ad partem adversam appositam habent crucem ligneam quae videri nequit. Ex usu universali cruces non debent habere imaginem Divini Redemptoris. Pro benedictione crucium, habetur determinata formula, quae reperitur in Appendice ad Ritualem Romanum et quam in *Appendice* referemus. Si autem Via Crucis erigenda sit in aliquo Sanctimonialium monasterio, vel conservatorio, non est opus erigenti ingredi *clausuram*, sed sufficit ut benedicat cruces ad crates. (Mon. VIII) ;

6° *Affixio Crucium ;* relate ad quam sequentia sunt observanda: *a)* Affixio potest praecedere vel subsequi benedictionem (D. 447. 21 Iun. 1879). *b)* Affigi debent cruces ita ut aliqualis distantia sit inter unam et alteram stationem (D. 144. 28 Aug. 2752). *c)* Non est necessarium ut qui benedicit cruces, ipse affigat; benedictione enim facta a Sacerdote legitime delegato, alter quicumque eas collocare potest privatim sine caeremoniis et etiam alio tempore (D. 311. 22 Aug. 1942). *d)* Etsi opus non sit ut cruces affigantur ab eo qui erigit Viam Crucis, tamen necesse est ut erigens moraliter saltem sit praesens loco ubi

fit erectio, benedicendo saltem cruces in eodem loco. Excipiuntur loci ubi est clausura.

7° *Processus erectionis;* scilicet omnium quae erectionem Viae Crucis respiciunt, nempe postulatio erectionis et concessio erectionis, instrumentum in codicibus seu in actis Episcopatus remanere debet, et testimonium saltem in codicibus paroeciae, seu loci ubi fuerint erectae stationes, inserendum est (D. 294. 35 Sept. 1841).

Conditiones pro ipso *exercitio.*

Requiritur 1° *motus localis* de una ad aliam stationem. Excipitur quoad exercitium publicum, si ex hoc motu timeatur perturbatio; in hoc enim casu observari potest methodus proposita a S. Leonardo a Portu Mauritio " ut scilicet unoquoque de populo suum locum tenente, Sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeant; „

2° Ut stationes *visitentur uno tractu*, quod moraliter intelligendum est: brevis enim interruptio non obstaret: sic ex Dec. 223, 16 Dec. 1760 qui interrumpunt exercitium, puta ad audiendum Sacrum, ad sumendam Eucharistiam, ad confessionem peragendam, si illud prosequuntur, lucrantur indulgentias, dummodo notabiliter et moraliter non interrumpant;

3° *Meditatio Passionis D. N. Iesu Christi.* Communis sententia tenet sufficere meditationem Passionis in genere, quin requiratur meditatio in specie singulorum mysteriorum quae repraesentantur in singulis stationibus.

§ 4. *De cessatione.*

Ad recte iudicandum de cessatione indulgentiarum Viae Crucis utile existimamus nonnullas referre decisiones S. I. C. quae ad hanc referuntur.

1° Si stationes Viae Crucis removeantur a loco ubi canonice erectae fuerunt et in alium transferantur, indulgentiae nec primo loco affixae remanent, nec cruces sequuntur, sed requiritur nova erectio canonica (D. 270. 30 Ian. 1889). Haec tamen translatio debet esse de una in aliam Ecclesiam; si enim esset de loco in locum in eadem Ecclesia, indulgentiae non amitterentur (D. 211. 22 Aug. 1842). Excipitur si tollantur aliqua peculiari ratione et ad tempus tantum, ut denuo eidem loco restituantur; in hoc enim casu nova erectio non est necessaria (ibidem). Eo tamen tempore suspensae manent indulgentiae, neque acquiruntur ab iis qui pium exercitium peragerent ante stationes appositas, v. gr. parietibus alterius Ecclesiae (D. 223. 16 Dec. 1766).

2° Cum indulgentiae non sint adnexae tabulis, possunt removeri tabulae translatis crucibus super novas tabulas quin indulgentiae pereant (D. 258. 13 Nov. 1837 etc.).

3° Cum indulgentiae adnexae sint crucibus, si cruces omnino pereunt necessaria est nova erectio, sicut etiam est necessaria si crucium maior pars aufertur et aliae substituuntur (D. 311. 22 Aug. 1842). E contra non est necessaria nova erectio si cruces Viae Crucis in minori quantitate ob vetustatem removeantur et renoventur (D. 258. 13 Nov. 1837).

APPENDIX.

DE CRUCIFIXIS VIAE CRUCIS.

" Crucifixorum Viae Crucis appellatione intelliguntur cruces cum imagine divini Redemptoris, quibus applicatae fuerunt lucrandae indulgentiae Viae Crucis. „

" Usus Crucifixorum huiusmodi originem sumpsit incipiente anno 1773, postulantibus alumnis Franciscalis coenobii S. Bonaventurae de Urbe, ac SSmo Domino Clemente Pp. XIV benigne concedente. Considerantes enim praedicti coenobii fratres, plures impossibilitate visitandi stationes S. Viae Crucis canonice erectas praepediri, quominus indulgentias pio S. Viae Crucis exercitio adnexas lucrentur, ac de adhibendo remedio solliciti supplices litteras S. Sedi porrexerunt: Has preces laudatus Summus Pontifex clementissime excipiens in audientia diei 26 Januarii 1773 benigne annuit pro gratia iuxta petita. „ (*Instructio* pag. 71).

Conditiones pro *applicatione* indulgentiarum.

Ex parte *applicantis* requiritur 1° ut potestatem habeat vel *ordinariam* vel *delegatam*. Potestas *ordinaria* et *subordinata* residet in Ordine regularis et strictioris observantiae S. Francisci, Quinam autem in Ordine hac potestate polleant v. supra.

2° Ut *Benedictio* fiat saltem cum Signo Crucis et intentione applicandi Indulgentias; quae benedictio dari etiam potest pluribus crucifixis in globo vide supra pag. 130.

Ex parte *obiecti.*

1° ut super crucem sit *imago* divini Redemptoris et quidem *prominens.*

2° ut sit ex materia *solida ;* quod tamen valet de imagine non vero de Cruce, cum indulgentia cadat in imagine Christi dumtaxat.

Conditiones pro *lucratione* indulgentiarum.

1° Ut adsit *infirmitas* vel aliud legittimum *impedimentum* peragendi exercitium S. Viae Crucis in Ecclesia vel in alio loco in quo stationes sunt canonice erectae ;

2° Ut recitentur corde saltem contrito ac devoto *viginti* Pater Ave et Gloria. Adverte quod qui ob gravem morbum impares sint ad huiusmodi recitationem, ex concessione Pii IX 18 Octobris 1877, possunt eorum loco recitare semel actum contritionis vel invocationem: *Te ergo quaesumus tuis famulis subveni quos pretioso sanguine redemisti ;*

3° Ut recitatio dicta compleatur *uno tractu ;*

4° Ut, durante recitatione, Crucifixus benedictus *manu teneatur.* Quod si plures in communi pium opus exerceant, ex rescripto S. C. Indulgent. die 19 Ian. 1884, satis est ad lucrandas indulgentias ut a quocumque ex communitate teneatur Crucifixus, et alii, ceteris curis semotis, se componant pro pio exercitio Viae Crucis peragendo una cum persona quae tenet Crucifixum. [1])

[1]) Omnia ea quae ad indulgentias Viae Crucis spectant habentur simul collecta in Opusculo: *Instructio de Stationibus S. Viae Crucis exequendis visitandisque, cui accedit appendix de crucifixis Viae Crucis vulgo nuncupatis in lucem edita auctoritate Rmi P. Bernardini a Portu Romatino totius Ordinis*

Art. V.

DE INDULGENTIA ALTARIS PRIVILEGIATI.

§ I. *De notione et divisione.*

Est indulgentia plenaria per modum suffragii oblatione missae applicanda animabus in purgatorio detentis quae " spectata mente concedentis et usu clavium potestatis animam statim liberat ab omnibus Purgatorii poenis; spectato tamen applicationis effectu intelligenda est indulgentia, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet. „ (D. 283. 28 Iulii 1840).

Altare privilegiatum 1^0 potest esse *reale*, vel *personale* vel *mixtum;* prout privilegium immediate conceditur ipsi sacerdoti, vel adnectitur determinato altari ita ut privilegio frui possint omnes sacerdotes qui in dicto altari celebrant, vel adnectitur determinato altari ita tamen ut nonnisi determinati sa-

Fratrum Minorum Ministri Generalis. Editio altera ad Claras Aquas prope Florentiam ex typographia Collegii Sancti Bonaventurae MDCCCLXXXVIII. Editio prior approbata fuit a S. I. C.; relate vero ad hanc alteram editionem legitur pag. 4 sequens " Monitum ad hanc alteram editionem. In altera hac editione prioris editionis textus a S. Congregatione Indulgentiarum approbatus integer remansit; sola verba quae in priore editione in nota ad n. 4 ex Adrichomio ad sensum tantum referebantur, in hac expressa fuerunt ad verbum, emendato insuper citandi modo. Ad doctrinam vero quod spectat pauca notata sunt sub littera a) ad nn. 13, 42 et 44. Accesserunt Statuta piae Societatis a S. Via Crucis perpetua nuncupatae. „

cerdotes privilegio uti possint, sicut accidit aliquando Altaribus Confraternitatum, quae privilegium habent sed favore tantum Sacerdotum Confratrum.

2° Potest esse *simpliciter* privilegiatum vel privilegiatum *ad instar altaris S. Gregorii* in Monte Coelio; quod etiam appellatur Altare *Gregorianum* ad instar. Differentia inter utrumque, non est respectu indulgentiae, quae eadem est in utroque; sed respectu acceptationis divinae: in altare enim Gregoriano ad instar, habetur titulus specialis ad divinam acceptationem proveniens tum ob specialem destinationem illius altaris ab Ecclesia factam, tum ob specialem intercessionem S. Gregorii. (D. S. I. C. die 15 Martii 1884, cfr. votum Consultorum relatum in *Acta S. Sedis* vol. XVI. pag. 510).

§ II. *De conditionibus.*

Conditiones quaedam *generales* sunt pro qualibet specie Altaris privilegiati, quaedam *speciales*.

Quoad *generales* requiritur 1° ut sacerdos celebret Missam de requiem, dummodo id permittatur a rubricis, et non dedeceat ratione expositionis SS. Sacramenti, sive stationis Ecclesiae vel alterius solemnitatis (D. 404. 11 April. 1864). Haec conditio adeo necessaria est, ut siquis gaudeat privilegio Altaris personali pro aliquot hebdomadae diebus teneatur, ad validum exercitium huius privilegii, eligere festa semiduplicia, si quae occurrant in hebdomada (D. 402. 29 Febr. 1864):

2° ut utatur paramentis nigris vel ex rationabili causa violaceis (D. 357. 2 Maii 1852). Post celebre Decretum S. R. C. diei 23 Iul. 1868 in quo statuitur

Missas defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris, etsi administranda sit S. Communio particulis praeconsecratis, rationabilis causa nunc verificatur tantum in casu, quo die 2 Novembris SSmae Eucaristiae Sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni oratione quadraginta horarum:

3° ut indulgentia applicetur ei pro quo Missa dicitur: licet per se non repugnet Missam uni, indulgentiam vero alteri applicare (D. 348. 31 Ianuarii 1848); tamen de facto privilegium Altaris conceditur a R. P. ita ut nonnisi suffragetur animae pro qua Missa celebratur.

Quaestio fit I. an si Missa pluribus applicetur, etiam " privilegium altaris sive proprie dictum sive personale applicari possit pluribus defunctorum animabus. „

Huic quaestioni, quam proposuimus verbis Decr. S. I. C. die 29 Febr. 1864 (402), eadem S. I. C. respondit *negative:* idem responsum invenitur in Decreto 451 etc.; ratio autem desumitur ex ipsa notione indulgentiae altaris privilegiati, quam supra dedimus.

II. Occasione huius quaestionis potest ulterius quaeri an in genere indulgentiae omnes, pluribus applicari possint defunctis.

Si agatur de indulgentia *partiali* videtur *affirmative* respondendum esse, indulgentia enim partialis est numero determinata, ac proinde nulla videtur esse difficultas quod distribuatur inter plures defunctos; quod si agatur de indulgentia *plenaria*, solutio quaestionis pendere videtur ex mente Ecclesiae; videndum scilicet est an Ecclesia intendat

concedere indulgentiam, quae plenaria sit respectu viventis, vel respectu defuncti. Iamvero in primo casu pariter non videtur ullam esse difficultatem, quod pluribus distribuatur; licet enim fidelis nesciat quota sit, non enim cognoscit debitum poenae temporalis a se solvendum, tamen noscit Deus, qui acceptare potest indulgentiam pro rata parte inter plures distributam; in altero vero casu non videtur unicam indulgentiam plenariam pluribus defunctis posse distribui, in hoc enim casu omnino determinari debet unica persona, respectu cuius indulgentia dici possit plenaria, ac proinde nonnisi uni defuncto applicari potest. Videtur autem coniici posse mentem Ecclesiae ex modo quo indulgentiam plenariam concedit: si enim concedit ita ut lucrifieri possit a vivo vel applicari defuncto, tunc videtur mentem esse Ecclesiae ut indulgentia sit plenaria respectu ipsius viventis, secus enim una eademque indulgentia diversum haberet valorem, prout vivens vel sibi vel defunctis applicaret; si vero concedit ita ut sit tantummodo applicabilem defunctis, tunc videtur mentem esse Ecclesiae ut indulgentia plenaria sit tantummodo respectu defuncti, uti verificatur in indulgentia altaris privilegiati.

4° Ad hoc ut Missa celebrata ad Altare privilegiatum sit per se privilegiata non est necesse ut offerens eleemosynam, vel sacerdos intendat applicare privilegium (D. 366. S. I. C. 12 Martii 1855).

5° Applicatio indulgentiae Altaris privilegiati non impedit, quominus sacerdos per communionem in Missae Sacrificio factam indulgentias sibi vel animabus Purgatorii applicandas acquirere possit.

Quoad *speciales*, pro privilegio locali sequentes normae observandae sunt, nisi aliter statuatur in tenore concessionis: 1° Altare debet esse *fixum* (D. 234. 27 Nov. 1764 etc.) iuxta sensum ab ipsa S. Congregatione Indulgentiarum definitum, scilicet " quod a loco dimoveri *non possit,* sed non tamen cuius superior pars seu mensa sit ex integro lapide, vel adeo calce coniuncta ut lapis consecratus amoveri non possit „ (D. 334. 20 Mart. 1846); et clarius " sufficere ad constituendam qualitatem altaris fixi, ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponetur „ (*Rescripta authent.* n. 405, 26 Mart. 1867). Adnotandum tamen est quod " privilegium *altari* conceditur *non lapidi* qui unus alteri pro necessitate vel opportunitate suffici poterit „ (D. 334. 20 Mart. 1846). Quare privilegium hoc, absque speciali Indulto, nequit adnecti altari portatili (D. 334. 27 Nov. 1764; D. 318. 24 April. 1843). Pro subiecta autem materia ita definitur a S. I. C. altare portatile seu viaticum: " Altare quod constat tantum ex unico lapide integro tantae magnitudinis, ut calicis pedem cum patena, saltem quoad maiorem partem capere possit, vel quod de uno in alium locum transfertur „ (D. 334. 20 Mart. 1846).

2° Ecclesia vel capella sive oratorium publicum in quo extat altare debet esse saltem *benedicta* (D. 193. 22 Apr. 1752); licet enim Ecclesiae nondum benedictae capaces sint indulgentiarum, tamen de stylo Curiae eisdem concedi non solent (D. 162. 20 Martii 1747).

3° In antiquioribus concessionibus apponebatur

conditio, ut certus numerus Missarum in altari qualibet die diceretur, quae conditio, si extet, observanda est, ita ut remaneret suspensum privilegium, diebus, quibus praescriptus numerus Missarum non verificetur (D. 196. 22 Ian. 1753). Quod si per longum tempus conditio non verificatur et quidem nulla legitima extante causa videtur privilegium cessasse (cfr. idem Decretum).

4° Item in antiquioribus concessionibus limitabatur privilegium pro diebus, quibus non erat impeditum Missam defunctorum dicere. Sed ex declaratione S. I. C. (*Res. Auth.* pag. 229) quando eiusmodi conditio apposita inveniatur, suffragatur etiam in diebus impeditis.

Pro privilegio *personali:*

1° Qui obtinuit a S. Sede privilegium altaris personalis non debet dictum privilegium exhibere Ordinario, nisi aliter disponatur in concessione (D. 286. 5 Febr. 1841).

2° Sacerdos habens privilegium personale satisfacit oneri suscepto celebrandi in altari non privilegiato, utendo privilegio suo personali (D. 351. 15 Martii 1852).

§. 3. *De concessionibus huius privilegii.*

Antequam finem huic articulo faciamus dicendum est aliquid de concessionibus huius privilegii ab ipso iure factis.

I. Die II. Novembris in commemoratione omnium fidelium defunctorum, omnes Missae gaudent privilegio, ac si essent in altari privilegiato celebratae (D. 228. 19 Maii 1761).

II. Omnia Altaria Ecclesiarum, in quibus locum habet Oratio *quadraginta horarum* sunt privilegiata (*Raccolta* pag. 87).

III. Ex Brevi Benedicti XIII 20 Augusti 1724, *Omnium saluti,* conceditur Altare privilegiatum quotidianum *perpetuum* omnibus Ecclesiis *patriarcalibus, metropolitanis* et *cathedralibus*, in quibus Altare privilegiatum quotidianum perpetuum forsan non reperitur concessum, per patriarchas, archiepiscopos et episcopos respective locorum..... semel tantum designandum.

IV. Ex Brevi Clem. XIII 19 Maii 1759, *Ut erga parochiales*, conceditur altare privilegiatum quotidianum ad *septennium* omnibus Ecclesiis *parochialibus, collegiatis* et *abbatialibus* nullius, sub sequentibus conditionibus. 1° Ut intelligantur revocata huiusmodi privilegia, si quae essent, concessa tamen intuitu vel Ecclesiae parochialis, vel collegiatae vel abbatialis. Dicitur *intuitu;* non enim intelliguntur revocata privilegia, si quae fuissent concessa intuitu v. gr. alicuius Confraternitatis, Capellae seu Altaris iuris patronatus alicuius familiae etc. (D. 218. 30 Ian. 1760); 2° ut quilibet Episcopus vel Abbas de huiusmodi gratia supplicet pro sua respective dioecesi vel abbatia et unum dumtaxat Breve pro omnibus parochialibus Ecclesiis, abbatialibus et collegiatis suffragetur; 3° ut expirato septennio, sede plena, ipsimet Episcopi et Abbates, sede autem vacante, Vicarii Capitulares sive in spiritualibus Abbatiarum administratores pro renovatione eiusmodi privilegii supplicent; 4° ne autem parochi expensis graventur, ut nihil exigatur, sub poena nullitatis privilegii, ab officialibus tum

Episcoporum, quum Abbatum in certiorandis parochis sive in expediendis litteris pro designatione Altaris privilegiati in unaquaque parochiali Ecclesia dioecesis.

Ad maiorem intelligentiam huius Brevis sequentia praeterea sunt notanda.

a) Episcopi vel Abbates nequeunt absque speciali facultate executionem dare facultatibus obtentis vi Brevis Clementis XIII per suos Vicarios generales vel per alios nisi in precibus Apostolicae Sedi delatis expostulata sit et obtenta facultas communicandi altaris privilegium sive per se sive per suos vicarios generales (D. 321. 24 Maii 1343): *b)* Ecclesiae cathedrales, quamvis sint etiam parochiales, uno tantum gaudere debent altari privilegiato, vel illo concesso in perpetuum a Benedicto XIII omnibus cathedralibus, vel illo a Clemente XIII omnibus parochialibus impertito, salvis tamen peculiaribus circumstantiis (D. 238. 18 Sept. 1776): *c)* Privilegium pro collegiatis extendi potest ad illas Ecclesias, quae (etsi collegiatae non denominentur) habent residentias ad instar collegiatarum et in quibus ad instar collegiatarum choro assidue inservitur (D. 218. 30 Ianuar. 1760): *d)* Privilegium Ecclesiarum parochialium extenditur etiam ad filiales Ecclesias quin imo etiam ad Capellas publico cultui designatas si in eis parochus functiones vere parochiales exerceat, uti esset sepelire mortuos, baptizare, SSmae Eucharistiae Sacramentum ministrare in Paschate et similia (D. 219. 30 Ian. 1760): *e)* Septennium quoad altare privilegio donatum, incipit a die designationis (D. 292. 22 Sept. 1841).

Art. VI.

DE ALIQUOT ALIIS INDULGENTIIS.

§ 1. *Indulgentiae pro expositione 40 horarum.*

Indulgentia *decem* annorum et *totidem* quadragenarum;

Indulgentia *plenaria.*

Conditiones pro utraque indulgentia. Ante omnia requiritur pro applicatione indulgentiarum, ut Sanctissimum Sacramentum per quadraginta horas continue expositum sit in memoriam quadraginta horarum, quibus divini Redemptoris Corpus in sepulchro detinuit.

Ad indulgentias vero *lucrandas* requiritur ut quis *visitet* Sanctissimum Sacramentum publicae venerationi expositum per id temporis spatium quod cuique liceat, una simul preces fundendo pro principum christianorum concordia, haeresum exstirpatione atque S. Matris Ecclesiae exaltatione. Pro indulgentia *plenaria* requiritur praeterea *confessio* ac *communio.* (*Raccolta* pag. 85).

§ 2. *Indulgentiae pro solemni expositione in fer. V. in Coena Domini et in fer. VI. in Parasceve.*

Indulgentia *decem* annorum et *totidem* quadragenarum;

Indulgentia *plenaria.*

Conditiones pro utraque indulgentia. Requiritur ut quis *visitet* Sanctissimum Sacramentum publicae

venerationi expositum in vulgo dicto *Sepolcro;* atque ibi per aliquot temporis spatio iuxta intentionem Pontificis oret. Pro indulgentia *plenaria* requiritur praeterea ut quis *confessus* s. *communionem* sumat in feria V. in Coena Domini vel in die Paschatis. Indulgentia partialis acquiritur toties quoties quis Sepulchrum aliquod visitat. *Raccolta* pag. 107).

§ 3. *Indulgentiae pro visitatione SS. Sacramenti.*

Indulgentia tercentum dierum lucranda ab omnibus fidelibus qui corde saltem contrito devote visitaverint Sanctissimum Sacramentum, atque coram Eodem recitaverint quinquies Pater, Ave et Gloria; et insuper unum Pater, Ave et Gloria pro principum christianorum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione, S. Matris Ecclesiae exaltatione (*Raccolta* pag. 107).

SECTIO II.

DE INDULGENTIIS PARTICULARIBUS

Indulgentiae *particulares* sunt eae quae concessae sunt (vid. pag. 9) particularibus personis vel particularibus fidelium coetibus. Iamvero, ut per se patet, nihil dicendum occurrit de iis quae particularibus personis conceduntur; quare sermo noster restringitur tantummodo ad eas quae particularibus coetibus concessae sunt.

Porro innumeri prorsus in Ecclesia sunt eiusmodi coetus, qui pro vario fine quem sibi proponunt, vel variis mediis, quibus finem eumdem attingunt ad

varias classes reduci possunt. Nostrum non est, sed neque vires suppeterent, enumerare omnes indulgentias, quae ad varios hos coetus pertinent. Si quis desiderat noscere elenchum indulgentiarum quae ad plurimos huiusmodi coetus pertinent, ac praesertim eorum qui nostris temporibus ad occurrendum specialibus nostrae aetatis necessitatibus maximo animarum profectu orti sunt, adire potest Beringer *Les Indulgences* tom. II. et *Rescripta authentica.*

Quoad nos, tantummodo contenti erimus nonnihil dicere de indulgentiis *Religiosorum* ac *Confraternitatum.*

CAPUT I.

De Indulgentiis Religiosorum [1]).

Indulgentiae religiosorum duplicis sunt speciei. Aliae enim concessae fuerunt omnibus indiscriminatim Religiosis, aliae vero nonnisi particularibus Ordinibus; quare primae *communes,* alterae *pro-*

[1]) " Quemadmodum iuxta civile ius collegia esse et dici nequeunt nisi supremus princeps eadem sua sanctione approbaverit, ita etiam ex iure canonico religiosa sodalitia uti talia recognosci non possunt, nisi ecclesiastica auctoritas decreto suo eorumdem erectionem prosecuta fuerit (Lucidi *de Visitatione Sacrorum Liminum* editio III Romae ex typographia Polyglotta S. C. de Propag. Fide MDCCCLXXXIII, vol. II. n. 284). Iam vero relate ad hanc recognitionem non una fuit in Ecclesia disciplina. Iure communi decretalium ac Concilii Tridentini inspecto, uti sodalitia religiosa habenda sunt solummodo Ordines Regulares, quorum duo sunt elementa 1° *solemnitas votorum* et 2° *approbatio S. Sedis,* ac praeterea si agatur de monialibus praesertim post Constit.

priae uniuscuiusque Ordinis sunt. Nos loquemur solum de primis.

Porro Ordines religiosi vel regulares habentur in iure solum illi qui ab Apostolica Sede approbati

S. Pii V. *Circa pastoralis,* qua absolute praecepit ut mulieres omnes collegialiter viventes, professionem votorum solemnium emitterent, et legi Pontificiae clausura subiicierentur, requiritur etiam 3° *clausura.* Verum uti adnotat Benedictus XIV in sua *Inst. Eccl. 29* n. 13 " certum est quidem post decretum etiam eiusdem Pontificis (Pii V) in multis Italiae urbibus tertiarias versari, quae nec vota solemnia concipiunt, nec claustrorum legibus tenentur; tamen ut ratio SSmi Pontificis habeatur et de ipsius Decreti observantia studium ostendantur, Sedes Apostolica tertiarias huiusmodi dissimulare, et tamquam sua auctoritate minime probatas episcoporum iurisdictioni permittere consuevit. „ Tamen, Clemens XI in Litteris in forma Brevis incipientibus *Emanavit* editis die 5 Martii 1706 approbavit Congregationem mulierum quae appellabantur *Damicellae* seu *Virgines Anglicanae,* quaeque vota solummodo simplicia emittebant, nec legem clausurae observabant; et ipse Benedictus XIV ad solvendas quasdam quaestiones relate ad dictas Virgines Anglicanas edidit celebrem Constitutionem. *Quamvis iusto Dei,* pridie Kal. Maii 1749, qua " veluti fundamenta iecit (ait Lucidi *de Visitatione* vol. 2 n. 266) quibus instituta sacrarum Virginum, quae mirifice hac nostra aetate non sine summo totius christianae ac civilis reipublicae emolumento, excreverunt, totum religiosi regiminis aedificium possent extruere, rectisque communire legibus et institutis. „ Notat vero ipse Lucidi (l. c. vol. II. n. 266) quod S. C. EE. et RR. " integram et inconcussam disciplinam tenaciter usque servavit, ut huiusmodi instituta, sublato quolibet status vere regularis titulo ac privilegio, veluti *piae societates* tantum considerarentur et essent. „ At nunc ulteriores progressus facti sunt. Distinctio enim facta est inter ea Instituta quae uti propriae *Congregationes Re-*

fuere, et quorum membra emittunt solemnia religionis vota; quidquid ergo in iure de Religiosis vel Ordinibus religiosis statuitur, solum ad hos applicandum est.

ligiosae habenda sunt et inter ea quae ut mere *Piae Societates*. Cum vero disciplina quae nunc viget invenitur in Decreto S. C. EE. et RR. *de habitu Religioso*, quodque nos prae oculis habuimus, in distinguendis eiusmodi sodalitiis Religiosis, in commodum studiosorum hic per integrum referimus desumptum ab *Acta S. Sedis* vol. XXIII. pag. 634.

" Ecclesia Catholica hoc omnino habet, ut cum ad christianam fovendam pietatem, tum ad vitia extirpanda suas vires omnes iugiter intendat. Hinc nostra fere aetate, nedum verae Congregationes religiosae in magnum christianae civilisque reipublicae bonum excrevere, verum etiam aliae atque aliae fidelium sunt formatae societates, quae et consilia evangelica sequerentur et charitatis officia maiori libertate obirent, a quibus per temporum nequitiam exercendis religiosae familiae aut pene aut omnino prohibentur. Cum autem piae istae fidelium societates, non secus ac religiosae Congregationes a S. Sede laudatae fuerint, earumque statuta approbata, ac novae insuper societates huiusmodi approbari postularent, de earumdem societatum natura deque S. Sedis mente in illis approbandis coeptum est disputare. Qua de causa in generali S. R. E. Cardinalium Congregatione EE. et RR. de mandato SS. D. N. Leonis Papae XIII duo haec quaesita sunt:

1. Utrum expediat, ut S. Congregatio Episcoporum et Regularum decretum laudis aut approbationis concedat Institutis illis, quae praeter sorores in communitate viventes, habent obstrictas votis simplicibus sive temporaneis sive perpetuis alias sorores, quae propriis in domibus vivunt, quin signum aliquod praeseferant externum, per quod innotescat eas membra esse alicuius regularis Instituti?

2. Utrum expediat, ut eadem S. Congregatio concedat decretum laudis aut approbationis Institutis illis, quorum

Cum vero Ordinibus religiosis in pluribus aequiparentur Congregationes religiosae, atque cum illis similitudinem quamdam habent ceterae omnes Sodalitates quae pro fine habent christianam perfectio-

membra, etiamsi in communitate vivant, nullum tamen eiusdem Instituti signum praeseferunt, quinimo student occultare tam Institutum quam eius naturam?

Porro in plenaria Congregatione habita in Palatio Apostolico Vaticano die 21 mensis lunii anno 1889 Emineniissimi Patres decreverunt:

Sacra Congregatio quando laudat vel approbat huiusmodi Instituta, etiam sub expresso Congregationum nomine, ea intendit laudare aut approbare non quidem uti Religiones formales seu veras religiosas Congregationns votorum simplicium, sed tantum uti pias Sodalitates, in quibus, praeter alia quae iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam desiderantur, nec religiosa professio proprie dicta emittitur, sed vota, si quae fiant, privata censentur, non publica nomine Ecclesiae a legitimo Superiore acceptata. Haec insuper Sodalitia laudat vel approbat Sacra Congregatio sub essentiali conditione quod plene perfecteque respectivis Ordinariis innotescant, ac eorum membra, quamvis nullum regularem habitum deferant, attamen satagant ut in se ipsis non sit... indumenti vestimentorum cultus (1. Pet. III. 3), nec aliquid quod cuiusquam offendat adspectum, sed quod decet religiosas personas, promittentes pietatem per opera bona (1. Timoth. II. 10); caveantque ne quod per spiritus prudentiam occulitur, per prudentiam carnis in culpabilem simulationem degeneret.

Hoc autem Decretum Sanctitas Sua ratum habuit ac confirmavit, et in huius generis Institutorum statutis inseri praecepit, in audientia habita a me Cardinali Praefecto praelaudatae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 11 Augusti 1889.

I. Card. Verga Praefectus
Fr. Aloysius Episc. Callinic. Secretarius.

nem; hinc de his quoque in hoc capite loquemur, quod proinde in tres articulos distribuitur, in quorum 1° loquemur de indulgentiis Ordinum Regularium; 2° de indulgentiis Congregationum religiosarum; in 3° de indulgentiis aliarum Societatum.

Art. I.

DE INDULGENTIIS ORDINUM REGULARIUM.

Postquam Paulus V celebri Bulla *Romanus Pontifex*, die 23 Martii 1606, quae legitur in Appendice ad *Decreta authentica* pag. 447, et quam per integrum in § sequenti referimus, revocavit omnes indulgentias Ordinum Regularium, indulgentiae communes omnibus Regularibus originem ducunt sive ex *dicta Bulla*, in qua Paulus V novas indulgentias concessit omnibus regularibus, sive ex *communicatione privilegiorum*. Praeter, enim, concessiones quae ex dictis fontibus emanant, nullae novae concessiones favore omnium Regularium factae sunt. Adnotari tantummodo potest circa Moniales quod habet Fr. Theod. (p. II. c. II. § IV.) " Citra controversiam recipi debet, omnes et singulas Moniales confessas et sacra Communione refectas consequi indulgentiam plenariam, quae post emissam sacram benedictionem et veli consecrationem recipiunt a proprio Episcopo iuxta formam in Pontificali Romano praescriptam; ut habetur ex sequenti Brevi Benedicti XIII, „ quod per integrum refert.

§ 1. *De Indulgentiis ex Bulla* Romanus Pontifex.

Antequam elenchum indulgentiarum quae in hac Bulla continentur demus, duo sunt praemittenda:

1° Bullam hanc respicere omnes indiscriminatim Regulares utriusque sexus (D. 53. 28 Decemb. 1714); 2° revocationem respicere solum indulgentias Regularibus concessas ab iisdem lucrandas, non vero eas quae licet concessae favore Regularium, tamen lucrari possunt ab omnibus Christifidelibus, uti sunt v. gr. indulgentiae *locales* (cfr. Fr. Th. p. II. c. II. § II.).

Paulus Papa V ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex in Beati Petri Sede constitutus, cui inter alia coelestis indulgentiarum thesauri dispensandi cura incumbit, sollicite prospicere debet ac solerter, ut huiusmodi indulgentiarum dispensatio et usus ad Dei gloriam et animarum salutem praecipue dirigatur, et ne ex illarum multiplicitate confusio, aut inanis interpretatio exoriatur. Proinde cum fel. rec. Clemens Papa VIII, Praedecessor Noster, magna cum diligentia et sollicitudine procuraverit, abusus et corruptelas, tum in communicando indulgentiarum thesauro, tum in modo illas recipiendi irreptos tollere et propterea sua quadam Constitutione formam aggregandi, instituendi et recte administrandi Societates et Confraternitates praescripserit, licet morte praeventus hanc piam eius voluntatem ad finalem exsecutionem deducere, neque etiam, ut cogitaverat, circa indulgentias a plerisque Romanis Pontificibus Praedecessoribus, Religionibus et Ordinibus monasticis et mendicantibus diversis temporibus concessas aliquid deliberare potuerit: Nos, qui nullis Nostris meritis, sed sola Dei benignitate ad Summi Apostolatus officium vocati sumus, susceptum

a tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primum catholicae Ecclesiae regimen suscepimus, Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus a dicto Clemente Praedecessore deputatis, de quorum numero tempore ipsius Clementis Praedecessoris eramus, iniunximus, ut in illo opere ad ulteriora progrederentur et indulgentias Regularibus concessas recognoscerent, iisque recognitis rem nobiscum communicarent. Cum itaque praefati Cardinales privilegia, concessiones et gratias praedictis Religionibus et Ordinibus concessas diligenter inspexerint et examinaverint, ac eorumdem Ordinum Superiores et Officiales pluries audiverint, ac circa easdem indulgentias varia dubia et incertitudines et confusiones adesse compererint et ex iudicio eorumdem etiam Regularium, vel aliquorum ex illis Nobis proposuerint, valde expedire pro eorum maiori securitate et beneficio, ut indulgentias ipsis Religionibus et Ordinibus ad instar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus concessas, annullaremus et revocaremus, ac alias particulares illis concederemus: Nos, matura super hoc consultatione praehabita, cupientes personis Regularibus quibuscumque quorumvis Ordinum, tam monasticorum quam mendicantium, spirituale solatium et levamen afferre, infrascriptas indulgentias et gratias, quas personis Regularibus intra claustra aut extra, cum licentia tamen suorum Superiorum legitima de causa illis concessa, degentibus tantummodo suffragari debere declaramus, concedendas duximus. I. Omnibus igitur Christifidelibus, qui canonice et iuxta ordines cuiuslibet Religionis

et Constitutiones Apostolicas habitum regularem a legitimis Suporioribus causa profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; II. ac cuilibet novitio, qui poenitens et confessus ac sacra Communione refectus post completum probationis annum professionem emiserit, etiam plenariam; III. necnon cuilibet Religioso intra claustra sui monasterii viventi, qui in festo principali sui Ordinis confessus et sacra Communione refectus fuerit, aut Missam recitans et pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, Romani Pontificis salute ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam; IV. in cuiuslibet vero mortis articulo, si pariter vere poenitens et confessus ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Iesu ore, si potuerit, sin autem, corde devote invocaverit, etiam plenariam. V. Qui vero ad presbyteratus Ordinem canonice promotus, et confessus primam Missam celebrabit, necnon etiam iis Religiosis, qui pariter confessi ac sacra Communione refecti eidem Missae interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt, etiam plenariam; VI. iis vero, qui de suorum Superiorum licentia, a negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati, in piorum librorum et aliarum rerum spiritualium animos ad devotionem et spiritum inducentium lectionibus, operam suam dederint, addendo saepe considerationes et meditationes mysteriorum fidei catholicae, divinorum be-

neficiorum, quatuor Novissimorum, Passionis Domini nostri Iesu Christi et aliorum exercitiorum, orationum iaculatoriarum aut vocalium, saltem per duas horas in diem et noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem aut annualem, vel ordinariam, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, aut Missam celebraverint, quoties pro quolibet praedictorum exercitiorum, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. VII. Praeterea iidem Religiosi intra claustra viventes, qui suam ecclesiam devotè visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, consequantur easdem indulgentias, quas visitantes ecclesias Urbis et extra eam diebus Stationum consequuntur in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis ecclesias personaliter visitarent. VIII. Omnibus item Religiosis intra claustra, ut supra, viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam ante altare eorum ecclesiae dixerint, in quolibet die quinque annos et totidem quadragenas; IX. iis vero, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes, tamquam praedicatores et lectores, quinquies eamdem Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam ante quodlibet altare similiter dixerint, etiam quinque annos et totidem quadragenas: X. necnon etiam eisdem Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediae horae orationem mentalem fecerint, ac confessi et sacra Communione ultima Dominica mensis huiusmodi refecti fuerint, sexaginta annos et totidem quadragenas; XI. qui vero contrito

corde et poenitentes eorum culpas et peccata ac imperfectiones in capitulis culparum accusabunt, et spiritualiter communicabunt, et exercitium virtutum facient, tres annos et totidem quadragenas. XII. Quotiescumque autem de licentia Summi Pontificis, aut suorum Superiorum in ditiones et terras infidelium, aut haereticorum ad concionandum, aut catholicos docendum, vel infideles et haereticos ipsos ad fidem catholicam convertendum et Ecclesiae gremio reducendum missi fuerint, si poenitentes et confessi ac Sanctissima Communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint, ut melius ad huiusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri se accingent, et quando in Provinciam, ubi praedicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus et elargimur. XIII. Et insuper cum Superior in visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, iis Religiosis, qui dictis orationibus saltem spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, Romani Pontificis salute ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, necnon disciplinae et observantiae regularis augmento pias ad Deum preces, ut supra dictum est, effuderint, si confessi et S. Communione refecti fuerint, aut Missam celebraverint, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam et remissionem, ut praefertur, concedimus. XIV. Volumus autem, ut omnes supradictae indulgentiae et gratiae, Religiosis regularibus

cuiusvis Ordinis, tam monastici, quam mendicantis dumtaxat, ut praefertur, concessae, etiam omnibus Monialibus cuiusvis regulae approbatae et intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus et perpetuam clausuram servantibus, tam Ordinariis locorum, quam etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, regulae et instituti subiectis suffragentur. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Ceterum omnes et singulas indulgentias quibuscnmque Ordinibus et institutis regularibus huiusmodi, etiam mendicantibus et quibuslibet personis regularibus, tam vigore privilegiorum et Litterarum Apostolicarum, quam vivae vocis oraculo, aut alias quovis modo per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros ac Nos et Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas et innovatas, auctoritate et tenore praedictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus et abrogamus et ad praesentium Nostrarum Litterarum praescriptum reducimus et moderamur. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac eorumdem Ordinum et Institutorum Regularium, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et Litteris Apostolicis, etiam Mare magnum et Bulla aurea nuncupata eisdem Ordinibus et Institutis, eorumque Monasteriis, Conventibus, Collegiis, Domibus, Superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac de

verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides habeatur ubique, quae praesentibus ipsis originalibus litteris haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 23 Maii 1606, Pontificatus Nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

§ 2. *De Indulgentiis ex communicatione privilegiorum.*

Communicatio privilegiorum in eo consistit, ut privilegia et indulgentiae concessa uni Ordini censeantur concessa *uniformiter et aeque principaliter* etiam aliis Ordinibus, intra quos existit iuridica communicatio privilegiorum. (Reiffenstuel lib. v. *Decretal.* tit. xxxiii. § iii.; Maschat, eodem titulo n. 27).

Limitant tamen DD. ut Religiosi non communicent 1° in privilegiis adversantibus eorum Instituto, sicut sunt privilegia Ordinum militarium vel laxioris Religionis, quae strictiori accommodari nequeunt; 2° in privilegiis poenalibus et odiosis, nisi et hoc cederet in favorem Religionis; 3° in privilegiis exor-

bitantibus, quae non intuitu Religionis, sed causae alterius particularis sunt concessae, v. gr. intuitu imaginis miraculosae; ex quo fundamento docent Scriptores Minorum S. Francisci indulgentiam Portiunculae non communicari aliis; 4° in privilegio altaris privilegiati, quod est incommunicabile (D. 171. 2 Martii 1748).

Hac praemissa communicationis privilegiorum ac indulgentiarum notione, aliquid dicendum esse videretur de applicatione ad indulgentias: at relinquimus onus hoc, quod non tam facile est, illis quorum interest.

Art. II.

DE INDULGENTIIS CONGREGATIONUM RELIGIOSARUM.

Congregationes Religiosae dicuntur in iure illae quae a S. Sede approbatae fuerunt, et quorum membra emittunt vota substantialia religionis simplicia perpetua, et quidem *publica*, seu nomine Ecclesiae a legitimo Superiore acceptata.

Iamvero cum nullae habeantur concessiones indulgentiarum communes omnibus religiosis Congregationibus; hinc de his nihil in genere statui potest. Ex praxi tamen S. Sedis, iisdem postulantibus, concedi solent fere eaedem indulgentiae, quibus fruuntur Ordines Regulares.

Art. III.

DE INDULGENTIIS ALIARUM SOCIETATUM.

In hoc titulo comprehendimus 1° ceteras omnes Societates, quae pro fine habent evangelicam perfe-

ctionem, in quibus tamen, praeter alia quae iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam desiderantur, nec religiosa professio proprie dicta emittitur, sed vota, si quae fiant, privata censentur, non publica nomine Ecclesiae a legitimo Superiore acceptata. Quare in iure habentur ut *Piae Societates;* et 2° *Tertios Ordines saeculares,* qui et ipsi pro fine habent perfectionem christianam, ex quo etiam titulo differunt a Confraternitatibus, de quibus sermo erit in capite sequenti.

Iamvero quoad *Pias Societates* idem dicendum est quod de Congregationibus religiosis dictum est; scilicet nullae unquam generales indulgentiarum concessiones pro iisdem factae sunt.

Quoad vero *Tertios Ordines saeculares*, et hi etiam non habent communes indulgentias: relate tamen ad hos, sequentia prae oculis habenda sunt, quae maxime ad praxim utilia esse possunt.

Ac 1° dicuntur *Ordines,* quia instituti sunt ad formam Ordinum regularium; *tertii* ad distinctionem Ordinis primi virorum et secundi mulierum; *saeculares*, sive ratione personarum quibus coalescunt, sive ad distinctionem tertiorum Ordinum regularium.

2. Iuxta *stylum Curiae* ut proprie dicti tertii Ordines habendi sunt tantummodo illi, qui instituti sunt ab Ordinibus regularibus proprie dictis et regulam a S. Sede approbatam habent. Qui ergo a Congregationibus religiosis instituti sunt retineri debent ut simplices associationes, proinde his applicari nequeunt quae a Iure statuuntur circa Tertios Ordines.

3. " Saeculares Tertii Ordinis gaudent praecedentia super quascumque laicales Confraternitates.

Sic expresse statuit Benedictus XIII, Constit. incip. *Ad Nostram audientiam*. Et novissime Bened. XIV, Constit. incip. *Emanavit nuper*, in qua confirmat etiam Decretum S. C. EE. et RR. ad id editum. Et talis praecedentia eis competit sive sub propria Cruce, sive sub illa FF. incedant. „ (Ferraris, verb. *Tertiarii*, n. 55).

4. " Omnes utriusque sexus, qui sunt membra alicuius religiosi Instituti vel Congregationis, aut a Summo Pontifice aut ab Episcopo approbatae, in qua vota emittuntur sive perpetua sive ad tempus, non possunt adscribi in Tertium Ordinem S. Francisci Assisiensis. „ (Dec. S. I. C. 16 Iul. 1887). Quod Decretum etsi latum sit tantummodo respectu tertii Ordinis S. Francisci, tamen videtur ob paritatem rationis extendendum etiam esse ad alios tertios Ordines.

In Appendice referemus Regulam tertii Ordinis S. Francisci a SS. D. N. Leone XIII approbatam, et formulas absolutionum etc. pro omnibus Tertiariis.

CAPUT II.

De Indulgentiis Confraternitatum [1]).

Cum nullum sit generale Indultum favore Confraternitatum, sicut vidimus existere pro Ordinibus Regularibus, hinc si quis desiderat noscere Confra-

[1]) Cum in indulgentiarum materia, de Confraternitatibus doctrina apprime sit necessaria, et aliunde Commentatores Iuris Canonici vel nihil vel parum de eisdem disserant in titulo de *Religiosis domibus ut Episcopo sint subiectae*, lib. III. *Decretalium*, paulo fusiori calamo, quam ratio huius

ternitatum indulgentias necesse est ut singulas adeat. Plura Summaria Confraternitatum, ut iam innuimus, reperiuntur in *Rescripta authentica* et in opere Beringer *Les Indulgences* vol. II.; ad quae remittimus Lectores.

Nos hic tantummodo aliquid dicemus per summa capita de *natura* Confraternitatum, atque de legitimo modo sese ad easdem *adscribendi;* nisi enim Confraternitates *rite* constitutae sint, et legitimo modo *adscriptio* fiat, frustranea erit indulgentiarum lucratio.

Operis exigeret, de illis loquemur. Fontes autem quibus potissimum usi sumus, sequentes sunt. — Ioan. Baptistae de Luca.... S. R. E. Presbyteri Card. *Theatrum Veritatis et Iustitiae,...* Neapoli MDCCLVIII ex typographia Lucae Laurentii. — Iacobi Pignatelli.... *Consultationum Canonicarum,* Venetiis MDCXCV apud Paulum Balleonium. — Augustini Barbosae *de Officio et potestate Episcopi.* — Ferraris *Prompta Bibliotheca* etc. verbo *Confraternitas.* — Benedicti XIV Pont. Opt. Max. olim Prosperi Card. de Lambertinis... *Institutionum Canonicarum* (Instit. 105) editio secunda latina, Romae MDCCL excudebant Nicolaus et Marcus Palearini. — Theodorus in p. II. — Lucidi de *Visitatione SS. Liminum* vol. II. cap. VII. — Minderer, *Conferentia nona de Indulgentiis Confraternitatum.* — Bouix, *de Episcopo* tom. II. pars v. cap. XXXI. — Beringer vol. II. — *The Irish Ecclesiastical Record,* Dublin fasc. Augusti 1890 et sqq. et tandem *Revue des Sciences ecclesiastiques,* Amiens, in qua series articulorum sub titulo *Des Confreiries* publicari coepit inde ab anno 1891, subscript. A. Tachy, ita ut in fine completus habeatur *Traité des Confreiries;* qui quidem articuli commendantur et soliditate et vastitate doctrinae.

Art. I.

DE NATURA CONFRATERNITATUM.

§ 1. *De notione et divisione.*

Cum in iure promiscue aliquando sumantur vocabula *Confraternitas*, *Sodalitium, Consociatio, Congregatio*, *Pium opus* etc. (*Decreta auth.* pag. 428, *Rescripta authentica* pag. 707 in nota); difficile est harum omnium associationum distinctos dare conceptus atque mutuas notare differentias.

In genere, cum Fr. Theod. (part. II. cap. II. § I.) definiri possunt " confraternitates, quae coniunctionem in fraternitate sonant, sicut consanguinitas in sanguine,... fidelium congregationes in unum quandoque convenientium ad quaedam pietatis officia obeunda, ecclesiastica auctoritate institutae. „ Sub qua tamen definitione, ut patet, non comprehenduntur eae associationes, in quibus nec requiritur ut aliquando membra in unum conveniant. Quare generalius definiri possent, fidelium associationes ad pietatis aut charitatis opera exercenda institutae.

Porro si res intimius spectetur, attenta praesertim praxi sacrarum Congregationum, " aequum est distinguere inter sodalitia, quae strictiori sensu collegia dici possunt, ut esse solent pleraeque *proprii nominis* confraternitates ad modum organici corporis constitutae, et sodalitia quae laxiori modo sociali vinculo colligantur, ut esse solent plures etiam confraternitates et pleraeque piae associationes, congregationes, aggregationes, uniones ac pia opera, ut

vocant. „ (D. 453. 26 Nov. 1880). Inter autem Confraternitates ipsas proprii nominis iterum distingui debent illae quae magis stricto sensu Confraternitates appellantur, ab aliis quae sensu latiori, licet proprio, sub Confraternitatis nomine comprehenduntur. Unde istae omnes associationes ad triplicem classem reduci posse videntur, scilicet: 1° ad Confraternitates stricte sumptas; 2° ad Confraternitates late sumptas; 3° tandem ad pias Uniones. Differentia inter duas primas classes et tertiam in eo est, quod illae ad modum organici corporis institutae, non vero haec postrema; differentia vero inter primam et secundam patebit ex iis quae de prima dicemus.

Porro cum agatur de re maximi momenti non erit inutile aliquantisper insistere in enucleanda notione harum trium associationum classium. Iamvero incipiendo a postremis seu a *piis unionibus*, ita a Panici (*Animadversiones* etc. pag. 31) describuntur: " Simplices fidelium uniones, vel preces recitandi aliosque pietatis ac religionis actus peragendi gratia, vel exercendi charitatis actus, ad quae omnia adimplenda fideles multoties neque opus habent sese insimul determinato loco aut tempore congregandi, sed peragere id possunt etiam singillatim et quolibet loco ac tempore. „

Quod vero attinet ad Confraternitates proprii nominis sive strictiori sive latiori sensu usurpatae, cum differentia inter utrasque sit tantummodo ratione cultus publici, in quo partem habent Confraternitates strictiori sensu usurpatae; hinc notionem dabimus solum de Confraternitatibus stricte sumptis, ita tamen ut eadem notio, abstractione facta

ab iis quae cultum publicum respiciunt, etiam ceteris Confraternitatibus optime applicari possit. Itaque Confraternitates stricto sensu usurpatae definiri posse videntur: — Laicorum societates Ecclesiae auctoritate institutae, ad exercenda opera pietatis vel charitatis et in augmentum publici cultus.

Dicuntur *Societates*, quia ad modum organici corporis institutae sunt;

— *laicorum,* non ex eo quod clerici nequeant esse membra harum Confraternitatum, sed ad distinctionem Cleri saecularis ac regularis. Istae enim Confraternitates partem habent in cultu publico; unde ad distinctionem associationum quae ex Clero sive saeculari sive regulari componuntur, *laicorum* Confraternitates appellantur;

— *ab Ecclesiae auctoritate institutae,* de hoc melius infra ubi de erectione;

— *ad exercenda opera pietatis vel charitatis.* Per haec verba designatur finis [1]) proprius Confraternitatum, et cum diversa possint esse opera exercenda vel diversus modus quo haec opera exercentur, hinc etiam inter se distinctae Confraternitates exurgunt;

— *in augmentum publici cultus,* quibus verbis indicatur finis communis omnium Confraternitatum

1) Aliquando etiam associationes, v. gr. operariorum, ordinatae ad tractanda propriae artis negotia, possunt habere capellas vel ecclesias, in quibus membra harum associationum adunantur ad pia opera exercenda; at cum finis *primarius* harum associationum non sit exercitium alicuius operis charitatis aut pietatis, eiusmodi associationes computari nequeunt inter Confraternitates. (De Luca, *Theatrum Veritatis* etc. lib. VII. *de Alienationibus* etc. disc. VIII. nn. 5, 6).

stricte sumptarum et ratione cuius eiusmodi associationes differre videntur a ceteris omnibus, etsi ad formam organici corporis institutae. Nimirum, ex praxi Curiae, ut Confraternitates stricte dictae habentur eae solummodo, quae partem aliquam habent in cultu publico, quaeque proinde proprium Capellanum habent, particulares vestes seu saccos induunt, vexilla deferunt etc. etc. [1]).

Hac praemissa Confraternitatum notione, accedamus ad varias earumdem divisiones, in quibus tamen usurpabimus nomen Confraternitatis *latissimo* sensu.

Itaque Confraternitates multipliciter dividuntur. Ac 1° ratione dignitatis in *Confraternitates* et *Archiconfraternitates*. — *Archiconfraternitates* sunt eae quae privilegium habent aggregandi Confraternitates eiusdem nominis ac instituti; et possunt esse

[1]) Distinctio Confraternitatum stricte sumptarum a ceteris innuitur ab Ursaya, citato ab *Acta S. Sedis* (vol. VIII. pag. 275) " Ursaya tom. VIII. part. I. discept. XIII. n. 9 inter Confraternitatem et Congregationem hoc ponit discrimen: Confraternitates sunt illae quarum confratres habent specialia vexilla, et propria insignia, tenentur induere se saccis et intervenire in processionibus, ac aliis sacris functionibus propriae Confraternitatis; Congregationes e contra sunt privatae quaedam hominum adunantiae, qui privatim, de licentia tamen Ordinarii, in aliquo particulari et determinato loco, qui non sit Ecclesia publica, ibique certis temporibus sua peccata confiteri, et Eucharistiae Sacramento refici solent, nec non audire exhortationes et admonitiones alicuius patris spiritualis, qui eos in rebus spiritualitatem concernentibus instruat; nunquam vero hi figuram faciunt in processionibus publicis, nec saccis seu specialibus indumentis utuntur. „

universales vel *regionales*, prout privilegium hoc habent pro universo Orbe, vel pro regione tantum. Sunt etiam Archiconfraternitates *honorariae* seu *titulares*, quae praeter titulum honoris, non habent privilegium aggregandi;

2° ratione fundationis *a)* in *ecclesiasticas* seu *religiosas* [1]) et *laicales*, seu pias, prout ab auctoritate ecclesiastica erectae sunt vel non; *b)* in eas quae erectae sunt a *Regularibus*, et in eas quae *non sunt* erectae a Regularibus;

3° ratione extensionis in *universales* et *locales*, prout pro universo Orbe, vel pro certa tantum dioecesi vel regione erectae sunt;

4° ratione interni regiminis in Confraternitates proprii nominis, et in Confraternitates improprie dictas.

1) Pro illis inter nostros Lectores, qui profani sunt Iuris Decretalium studio, advertimus hic vocabulum *religiosae* sumi sensu toto caelo diverso ab eo quo idem vocabulum sumitur in capite antecedenti. Nimirum iuxta tit. de *Religiosis domibus ut Episcopo sint subiectae* lib. III. Decretal. locus religiosus opponitur loco pio, ita ut nomine loci religiosi veniat quicumque locus pius, sive sacer sive non (monasteria, xenodochia pro peregrinis, nosocomia pro infirmis, confraternitates, congregationes et in genere loca pia ad charitatis vel religionis opera exercenda) auctoritate Episcopi erectus; et hoc sensu Confraternitates appellantur a DD. ecclesiasticae vel religiosae, quatenus scilicet ab Ecclesiae auctoritate erectae sunt. Iamvero quae ab Episcopo non fuerint erectae, sed solum approbatae, dicuntur simpliciter piae vel laicales; ubi adnotari etiam debet quod additum laicales apponi debeat post Confraternitates, secus variatur sensus.

§ 2. *De Erectione.*

" Personae privatae sodalium collegium vel universitatem erigere et constituere non possunt, nisi eis hoc a Superiore concedatur, ut notat Barbosa in cap. *Dilectio* n. 1. et 2. *De ecc. prael....* „ Lucidi (*de Visit. SS. Liminum* vol. II. c. VII. n. 125).

Iamvero Superioris concessio dari potest vel per simplicem *approbationem* vel per *erectionem*. Si datur per approbationem, Confraternitas remanet mere laicalis, atque iuxta tit. *de Religiosis domibus ut Episcopo sint subiectae* lib. III. Decretal. consideratur ut mere *locus pius;* e contra si datur per *erectionem,* Confraternitas ut *locus religiosus* in iure habendus est, ac plura iura obtinet; quare de erectione aliquid fusius dicendum est.

Erectio canonica est actus legitimae auctoritatis, quo Confraternitas in suo esse iuridico constituitur, ita ut in Ecclesia personalitatem moralem acquirat. Effectus huius erectionis, praeter illum quem in definitione innuimus, est etiam ut Confraternitas consideranda sit ut *locus religiosus,* ac proinde subiecta sit omnibus dispositionibus quae statuuntur in capite citato lib. III. *Decretalium,* praesertim quoad visitationem, quoad alienationem bonorum etc.

Erectio necessaria est pro Confraternitatibus stricte sumptis et pro omnibus Confraternitatibus latiori sensu etiam sumptis, quoties aggregari velint alicui Archiconfraternitati.

Potestas erigendi competit de *iure ordinario* 1° Romano Pontifici pro universa Ecclesia; 2° Episcopo pro sua dioecesi; 3° Superioribus regularibus

pro universa Ecclesia relate ad eas Confraternitates quarum erectio *privative* ad eosdem pertinet; ut enim ait Decr. S. I. C. die 16 Iul. 1887 (*Acta S. Sedis* xx. 253) " piae quaedam Sodalitates a Regularibus Ordinibus suam repetunt existentiam, ita earumdem erectio iure quodam proprio eisdem Ordinibus competit. „

De iure delegato pertinet ad illos omnes quibus a R. P. facultas fit confraternitates erigere. Quod potissimum locum habet in locis Missionum, in quibus R. P. per organum S. C. de Propaganda Fide concedere solet Missionum Superioribus facultatem [1])

[1]) Relate ad facultates quae conceduntur in locis Missionum pro erectione Confraternitatum, sequentes Litterae circulares missae fuere a S. C. de Propaganda Fide paucis abhinc annis.

Ex Secretaria S. Congregationis de Propaganda Fide.

Romae die 30 Iunii anno 1889.

Illmẽ ac Rmẽ Domine,

Sacrae huic Fidei Propagandae Congregationi dudum iam anteactis temporibus auctoritas per Summos Pontifices facta fuerat tribuendi Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis et Praefectis Apostolicis aliisque Missionum Moderatoribus ab eadem S. Congregatione dependentibus, facultatem erigendi in locis sibi subiectis quascumque pias Sodalitates a S. Sede adprobatas, iisque adscribendi utriusque sexus christifideles, ac benedicendi coronas et scapularia earundem sodalitatum propria, cum applicatione omnium Indulgentiarum, quas Summi Pontifices, praedictis Sodalitatibus, coronis et scapularibus impertiti sunt. Verum postquam per Decretum Sacrae Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum editum die 16 Iulii anno 1887, constitutum est quoad Confraternitates SSmae Trinitatis, B. M. V. a Monte Carmelo, et septem Dolorum, ne eaedem erigerentur *nisi requisitis*

erigendi etiam eas Confraternitates quarum erectio *privative* spectat ad Regulares.

Normae sequendae ab Inferioribus Papa in erectione, aliae omnibus *communes* sunt, aliae *propriae* Regularibus.

Communes sunt:

1° Ut *unica* tantum Confraternitas in eodem loco

antea et obtentis a respectivorum Ordinum Superioribus pro tempore existentibus literis facultativis pro earumdem erectione, a nonnullis dubitatum est num praedictum decretum loca etiam Missionum respiceret, in quibus plura rerum adiuncta prohibent quominus quae per illud praecipiuntur commode possint executioni mandari.

Quapropter ad omnem ambiguitatem e medio tollendam SSmus D. N. Leo Pp. XIII in audientia diei 15 superioris mensis Decembris a R. P. D. Secretario praedictae S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum habita, declarare benigne dignatus est Sacrum hoc Consilium Propagandae Fidei eisdem facultatibus quoad erectionem Confraternitatum a S. Sede adprobatarum uti prosequi posse, quas ante promulgationem praedicti Decreti diei 16 Iulii anno 1887 habebat. In audientia vero diei 31 superioris mensis Martii habita ab infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario eadem Sanctitas Sua insuper iussit ut per hanc S. Congregationem, non obstante quavis praevia S. Sedis prohibitione, libera facultas tribui possit erigendi etiam Confraternitates SSmi Rosarii, ita tamen ut fideles iis adscripti non lucrentur nisi indulgentias communiter concessas omnibus in genere Confraternitatibus canonice erectis. Moderatores igitur Missionum huic Sacrae Congregationi Fidei Propagandae subiecti facultates ab eadem sibi faciendas quoad omnium Confraternitatum erectionem, fidelium in easdem adgregationem, scapularium benedictionem et indulgentiarum applicationem, valide et licite exercere se posse sciant quin a quopiam cuiusvis Regularis

seu " unaquaque civitate, terra et oppido sub eiusdem nomine, titulo seu invocatione „ erigi possit (Bassus *de Sodalitiis* quaest. III). Quod valet, etsi agatur de frequentioribus civitatibus, ut habet Decretum S. I. C. 403 die 29 Februarii 1864 in quo etiam suggeritur ut Episcopus " obveniente gravi causa recurrat in casibus particularibus. „ Quin imo, etsi

Ordinis Moderatore veniam aut assensum expetere aut obtinere antea teneantur. Quoad Confraternitates SSmi Rosarii tamen, si velint eas ita constitutas ut fruantur etiam peculiaribus illis indulgentiis, quae competunt Confraternitatibus erectis auctoritate Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, tunc ad eum recursum habeant oportet.

Hac vero data opportunitate nonnulla insuper quoad praedicta notantur. Dubitarunt aliqui num ad adgregandos fideles cuiusdam loci alicui Confraternitati necessaria foret praevia ibidem eiusdem Confraternitatis canonica erectio. Verum licet id in fidelium commodum profecto cederet, ac plerumque consulendum videatur, necessarium tamen non est cum sacerdotes adsunt qui fideles in Pias Sodalitates adsciscendi facultatem habeant. Hoc tamen in casu sacerdotes praedicti tenentur fidelium cooptatorum nomina ad proximiorem Confraternitatem, cui eos adlegerint, transmittere, aut ad proximiorem domum religiosam respectivam, si de Confraternitatibus agatur, quae regularis cuiusdam Ordinis auctoritate fuerint erectae.

Quod vero pertinet ad recensenda in albo Confraternitatum nomina fidelium iisdem adlectorum, id tamquam necessaria conditio absolute requiritur ut indulgentias Confraternitatibus adnexas lucrari fideles queant. Quapropter ab ea lege derogari nequit nisi per peculiaria Indulta quae solum determinatos casus et certa loca respiciant.

Attamen si quando ob ingentem fidelium adgregandorum numerum aliave ratione contingat eorum nominum in albo recensionem difficultatem sacerdoti cooptanti facessere,

agatur de locis diversis v. gr. de duobus pagis, requiritur distantia *trium milliariorum* inter Confraternitatem erectam et erigendam.

Quod licet inveniatur in formula erectionis, praescripta a Paulo V pro Regularibus, tamen videtur valere etiam pro erectionibus quae ab omnibus aliis fiant (D. 308. 22 Augusti 1842; Fr. Theod. p. II. c. II.

tunc designare is poterit unam vel plures pro opportunitate sibi visas personas, quae fidelium nomina scripto referant in catalogum, quem ipse postea subsignabit, et ad proximiorem Confraternitatem seu domum religiosam, uti superius dictum est, transmittat.

Ego interim Deum precor ut Te diutissime sospitet.

Ad officia paratissimus

IOANNES Card. SIMEONI, Praefectus

✠ Dominicus Archiep. Tyren., a Secretis.

Cum in relatis literis circularibus S. C. de Propaganda Fide dicatur quod " libera facultas tribui possit erigendi etiam Confraternitates SSmi Rosarii, ita tamen ut fideles iis adscripti non lucrentur nisi indulgentias communiter concessas omnibus in genere Confraternitatibus canonice erectis „ necessarium ducimus hic referre ex *Rescripta authentica* pag. 3 indulgentias communiter concessas. Superiores enim quibus supradicta facultas concessa sit opus non habent ad S. Cong. recurrere, ut confraternitati a se erectae has indulgentias obtineant. Conceduntur ab ipso iure statim ac verificetur conditio erectionis. Indulgentiae autem sequentes sunt.

" Confratribus et consororibus alicuius Confraternitatis seu Congregationis vel Sodalitatis conceduntur in perpetuum sequentes indulgentiae.

I. Indulgentia plenaria in ingressu, II. Indulgentia plenaria in articulo mortis, III. Indulgentia plenaria die festo

a. II. § III). Excipiuntur ab hac regula ex *ipso iure* Confraternitates SSmi Sacramenti, et doctrinae Christianae, quae in qualibet ecclesia parochiali fundari possunt (D. 308 s. c.). Excipiuntur etiam sodalitates Filiarum Mariae, quarum plures in eodem loco institui possunt (D. 416. 30 Augusti 1866). Nonnullae aliae exceptiones referuntur a *Revue des Sciences Ecclesiastiques*, tom. III. pag. 337.

principali, IV. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in quatuor aliis anni festis diebus per confratres eligendis et ab Ordinario approbandis. Quoties vero Missis et aliis divinis officiis in ecclesia seu capella vel oratorio huiusmodi pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis eiusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint vel procuraverint, nec non etiam, qui corpora defunctorum tam confratrum et consororum huiusmodi, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos aut alias ubicumque et quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel si impediti, campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam dixerint (aut etiam quinquies Orationem et Salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum huiusmodi recitaverint) aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei et ea, quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum exercitio sexaginta dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Dabitur quoque altare privilegiatum pro defunctis confratribus et consoribus semel in hebdomada et tota octava mortuorum ad septennium. „

Quaestio fieri potest utrum quod de distantia unius leucae dictum est, valeat etiam quando agatur de duobus locis ad diversas dioeceses pertinentibus.

Si agatur de Confraternitatibus ab Ordinibus Regularibus erigendis nullum dubium quod lex distantiae observari debeat, haec enim lex expresse lata est pro iisdem, qui praeterea in erigendis confraternitatibus non coarctantur dioecesum limitibus: e contra si agatur de confraternitatibus ab Episcopis erigendis, non videtur ad hunc casum supradicta lex applicari posse; Decreta enim quae legem pro Regularibus latam ad Episcopos extendunt, non videntur respicere casum quo loca ad diversas pertineant dioeceses.

2° Ut erigatur in aliqua Ecclesia vel sacello. Licet " possint Confratres, ubi eis magis libet, congregari, Barbosa *Collect. decis. Apostol.* 216 n. 12, (non tamen in Eclesiis monialium), quia... non considerantur tanquam collegium reale, sed personale nec sunt adnexae loco, ideoque ad libitum abeunt et in aliam Ecclesiam commigrant „ (Bassus l. cit. quaest. ix. n. 3); tamen in aliquo loco sacro, ubi proprias functiones exsequantur institui debere, praxis est universalis et supponitur a pluribus iuris dispositionibus (*Revue des Sciences Ecclesiastiques* ch. iii).

3° non possunt erigi " Confraternitates saecularium... in Ecclesiis Monialium, ait Fr. Theod. a Sp. S. (p. ii. c. ii. a. ii. § i.), cum populi frequentia, necnon functiones confraternitatum sacrarum Virginum tranquillitati non leve detrimentum possint afferre. Et ideo si confraternitates in dictis Ecclesiis monialium institutae reperiantur; ad alias Ecclesias transferri

debent: ut censuit S. Cong. EE. et RR. in *Tirasonen.* sub die 9 Nov. MDXCV. In aliquibus tamen casibus, legitimis causis occurrentibus, in monialium ecclesiis permittitur Confraternitatum institutio cum clausula: *attentis circumstantiis.* „ (cfr. etiam Bassus *de Sodalitiis*, quaest. III. a. 4; Minderer *De Indulgentiis* etc. conf. nona, § 1, quaes. 5). Neque expedit erigere confraternitates in Ecclesiis communitatum foeminarum quasi-religiosarum (D. 403. 29 Feb. 1864).

Normae *propriae* pro Regularibus sunt.

1. ut adsit consensus Episcopi cum litteris testimonialibus eiusdem ;

2. ut servetur formula praescripta a Paulo V [1]).

[1]) "Formula servanda saltem in substantialibus *a)* a *Superioribus Regularibus Religionum* etc., in erigendis seu instituendis Confraternitatibus ac communicandis Indulgentiis et gratiis spiritualibus quas a Sede Apostolica obtinuerunt.

N. N. Ordinis N. Generalis *b)*. Religio nostra cum inter alia privilegia, quibus a Sede Apostolica decorata est, facultatem habeat saecularium Confraternitates sub invocatione N. erigendi, eisque spirituales gratias, privilegia et Indulgentias communicandi, in huiusmodi Confraternitatibus instituendis, si ad Christifidelium salutem promovendam expedire animadvertit, liberalem se praebere consuevit.

Nos igitur, qui generalem totius Ordinis nostri curam gerimus, sperantes, fore ut ex hac spiritualium gratiarum participatione Christifideles ad devotionem et pietatem magis excitentur, auctoritate nobis a Summis Pontificibus concessa,

a) Dicitur in subsiantialibus, quatenus non sit vetitum, addere vel immutare aliqua in eadem, quae substantiam non afficiant. Integrum etiam erit unicuique Ordini, Religioni, Instituto, sive originem, sive naturam, sive praestantiam proprii Ordinis indicare et alia, quae solent in huiusmodi litteris exponi.

b) Hic exprimitur persona vel qui auctoritate pollet iuxta facultates et privilegia unius cuiusque Ordinis, etc.

§ 3. *De interno regimine atque administratione.*

Quamvis ad obtinendas indulgentias necesse non sit ut Confraternitas habeat statuta (D. 308. 22 Augusti 1842); tamen difficile supponi potest Confraternitas, praesertim strictiori sensu usurpata, quae ea non habeat ad regimen et rectam sodalitatis administrationem.

Licet autem confraternitates possent sibi condere statuta, tamen haec confirmata esse debent ab Episcopo, qui poterit etiam ex rationabili causa ea-

Confraternitatem N. in ecclesia N. loci N. dioec. N., de consensu loci Ordinarii, qui eiusdem Confraternitatis institutum, pietatem ac religionem Litteris patentibus nobis nuper exhibitis commendavit, dummodo talis alia similis in ipso vel alio ad tria milliaria propinquo loco hactenus erecta non fuerit, per praesentes nostras Litteras erigimus et instituimus, illique et pro tempore existentibus utriusque sexus confratribus elargimur et communicamus Indulgentias, privilegia et speciales gratias singillatim descriptas in elencho, quem rite per Ordinarium loci recognitum una cum his litteris tradimus diligenter asservandum *a)*.

Quibus omnibus Indulgentiis et spiritualibus gratiis descriptis Confraternitatem ipsam nunc erectam eiusque confratres potiri et gaudere posse decernimus iuxta ea,

a) Potest etiam inseri, si lubet, elenchus. In utroque tamen casu elenchus iam ab Ordinario loci recognitus continere debet distincte et expresse, non sub generalibus verbis, indulgentias, gratias, etc., quibus Societas aggregans fruitur directe, non quibus per communicationem et extensionem gaudet. — Ad tollendam tamen omnem dubitationem, dum per *Ordinarium loci* dicitur recognosci debere elenchum, intelligitur, ut si semel ab Ordinario loci, ubi auctoritas praecipua Ordinis, Instituti, Religionis, etc., quae habet facultatem erigendi, etc., moratur, recognitus fuerit elenchus, non indigeat nova recognitione, et tradi possit Societati erigendae, etc., etiam alibi, cum necessarium sit, ut semper idem sit elenchus, salvis additionibus, quae ex novis concessionibus pariter recognoscendis fieri contingat.

dem revocare atque mutare. (Bassus *de Sodalitiis* quaest. IV.).

Quod ius pertinet *privative* ad Episcopum, unde Vicarius generalis non potest approbare statuta (D. 420. 18 Augusti 1868), nisi ab Episcopo speciale mandatum habuerit, de quo in Decreto approbationis mentio fieri debet.

Statuta, praeter finem ac media ad finem Sodalitii proprium obtinendum, continere debent regulas praesertim pro sociorum admissione, pro moderatorum ac administratorum electione, pro comitiis

quae felicis memoriae Clemens PP. VIII in Constitutione, quae incipit: " *Quaecumque*, „ data sub die 7 Decembris 1604, praescripsit, et variationes a SS. D. N. Pio PP. IX approbatas, ut ex Decreto S. Congregationis Indulgentiarum die 8 Ianuarii 1861, et cuius Constitutionis praecipua capita cum dictis variationibus subnectuntur *a)*, scilicet:

1. Quod unica tantum Confraternitas eiusdem instituti et generis institui et aggregari possit in ecclesiis tam saecularium quam Regularium.

2. Quod id fiat de consensu Ordinarii et cum Litteris testimonialibus eiusdem.

3. Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et Indulgentiae Ordini (vel Archiconfraternitati) instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet.

4. Quod statuta Confraternitatum examinentur ac approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint.

5. Quod gratiae et Indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur.

a) Si lubet, inseri etiam potest integra Constitutio, addendo in fine variationes a SS. D. N. approbatas. Ceterum vel integra Constitutio, vel saltem indicata hic capita, quae substantiam continent, cum variationibus praedictis omnino inserenda est.

habendis, pro bonorum, si quae sunt, recta administratione etc.

§ 4. *De officiis ac iuribus relate ad alia Collegia vel Personas.*

Eo ipso quod Confraternitas aliqua instituitur, mutua officia atque iura inter Confraternitatem et cetera Collegia ac Personas quae in ecclesiastica societate sunt, oriri necesse est. Nonnulla attingemus quoad Episcopos, Parochos, ceterasque Confraternitates.

6. Quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget iuxta formam per Ordinarium praescribendam.

7. Litterae aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque merae eleemosynae accepta, expediri et concedi possunt, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura, vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis, cera, Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus eam quantitatem, quae non excedat summam scutatorum sex monetae Romanae in Italia, et extra Italiam non excedat summam libellarum (vulgo *francs*) triginta, pro singula aggregatione recipere liceat.

8. Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes privilegiorum et indulgentiarum nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque Officialium privationis officiorum, quae obtinent, atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam Romano Pontifice remitti non possit.

In quorum testimonium has Litteras fieri et per nostrum Secretarium subscribi et publicari mandavimus, sigilloque officii nostri muniri. Datum, etc. „ (*Appendix ad Decreta authentica S. C. Indulg.* pag. 465).

Quoad *Episcopum;* inter praecipua eiusdem *iura* sunt sequentia.

Episcopus ius habet 1° *approbandi* vel *erigendi* Confraternitates. Dixi *approbandi,* loquimur enim etiam de Confraternitatibus latissimo sensu sumptis: quod ius est *privative* Episcopi ita, ut Vicarius generalis absque speciali delegatione nequeat Confraternitates erigere (Decr. 420. 18 Augusti 1868); 2° *confirmandi* et ex rationabili causa *mutandi* atque *corrigendi* statuta; 3° *assistendi*, sive per se ipsum sive per delegatum, comitiis, etiamsi fiant in ecclesiis et oratoriis Regularium, in quibus reperiuntur erectae Confraternitates, absque tamen praestatione voti seu suffragii (Ferraris verbo *Confraternitas* a III. n. 17; Bassi l. c. quaest. XIV. n. 8); 4° *cogendi* Confraternitates stricte sumptas, quae utuntur sacco, ad conveniendum processionibus; *certe,* quando Episcopus sit in " possessione illos vocandi per edicta „ (Ferraris l. cit. n. 14) vel si agatur de processione SS̃mi Sacramenti. Quoad alios casus disputant DD. (Bassus l. cit. quaest. X.); 5° *visitandi* omnes Confraternitates, cum limitationibus tamen statutis in tit. de *Religiosis domibus ut Episcopo sint subiectae,* lib. III. *Decret.*

De visitatione autem peragenda ab Episcopo in Confraternitatibus erectis in Ecclesiis Regularium, haec habet Benedictus XIV in Institut. 105. " Sacra Concilii Congregatio... sacella sodalitatum ab Episcopo visitari posse decrevit, videlicet ea tantum, quae ab ipsis sodalitatibus administrantur. Id praesertim sancitum fuit die 23 Iunii anno 1719 his verbis: Sacra etc. Inhaerendo declarationibus iam factis censuit, Confraternitates laicorum in ecclesiis Regula-

rium exemptorum institutas, subesse iurisdictioni et visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari posse, nec non illorum capellas in iisdem ecclesiis Regularium existentes, in his tamen, quae Confraternitatum administrationem respiciunt. Etsi Confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta altaris, seu Capellae, onera Missarum atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia quae ad obligationem eorumdem confratrum relationem habent. „ Equidem hoc decretum pro causa peculiari editum est; sed tamquam lex generalis probatum deinde fuit, ipsique Sacra Congregatio se confirmavit, cum eiusdem generis causae propositae fuerunt. (cf. etiam Barbosa de *Officio et potestate Episcopi* p. III. alleg. LXXV. n. 13).

Episcopus tamen non potest se ingerere in administratione bonorum Confraternitatum; licet enim possit et debeat curare ut bona fideliter administrentur; administrationem tamen Confraternitati relinquere debet.

Quoad *Parochum*. Cum praecipua iura atque officia Confraternitatum relate ad Parochos determinata fuerint a S. R. C. die 10 Decembris 1703 per Decretum *Urbis et Orbis* editum in causa cui titulus *Iurium parochialium, functionum et praeeminentiarum inter Parochos et Confraternitates laicorum eorumque capellanos et officiales;* illud per extensum exscribimus ex Collectione Cardelliniana n. 3670.

" Decretum Urbis et Orbis. — Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter parochos

et confraternitates saeculares earumque capellanos et officiales, super iuribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis nonnullisque praeeminentiis seu praerogativis frequenter exoriri solent, in S. R. C. ab Emo et Rmo Card. Colloredo propositis infrascriptis dubiis, videlicet:

1. An confraternitates laicorum legitime erectae in ecclesiis parochialibus habeant dependentiam a parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus? — S. eadem R. C., re mature discussa, respondendum esse censuit: *Affirmative.*

2. An dictae confraternitates erectae in capellis, oratoriis tam publicis quam privatis, adnexis parochialibus ecclesiis et ab eis dependentibus habeant dictam dependentiam a parocho quoad dictas functiones? — *Affirmative.*

3. An confraternitates erectae in aliis ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a parocho, intra cuius parochiae limites sitae sunt ecclesiae? — *Negative.*

4. An confraternitates erectae in oratoriis tum publicis tum privatis seiunctis ab ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a parocho? — *Negative.*

5. An benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum sint de iuribus mere parochialibus? — *Negative.*

6. An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum et similium sint de iuribus mere parochialibus? — *Negative, sed benedictiones mulierum et fontis baptismalis fieri debere a parochis.*

7. An functiones omnes hebdomadae sanctae sint de iuribus mere parochialibus? — *Negative, prout iacet.*

8. An celebratio Missae solemnis feria quinta in Coena Domini sit de dictis iuribus parochialibus? — *Negative, prout iacet, sed spectare ad parochos.*

9. An prima pulsatio campanarum in sabbato sancto sit de dictis iuribus parochialibus? — *Negative, prout iacet, sed spectare ad ecclesiam digniorem ad formam Constitutionis Leonis X, n. 22,* § 14.

10. An celebratio Missarum solemnium per annum, sive pro vivis sive pro defunctis, sit de dictis iuribus parochialibus? — *Negative, prout iacet, sed licere confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus eiusdem ecclesiae vel oratorii, ut in Brundusina sub die 1 Iulii 1601.*

11. An expositio quadraginta horarum et benedictio, quae fit super populo, sit de dictis iuribus mere parochialibus? — *Negative.*

12. An expositio, quae fit cum reliquiis et sacris imaginibus, et benedictio, quae cum eis fit super populo, sit de dictis iuribus parochialibus? — *Negative, et quoad benedictiones cum reliquiis et imaginibus serventur decreta.*

13. An functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet a dubio 5 ad 12 expressae, peragi possint in oratoriis privatis, contradicente parocho? — *Satis provisum in superioribus.*

14. An in dictis oratoriis privatis confraternitatum per confratres statis horis recitari possint horae canonicae cum cantu vel sine, absque alia

licentia parochi? — *Affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.*

15. An in dictis oratoriis privatis sit licita celebratio Missae privatae assentiente Ordinario loci et contradicente parocho? — *Affirmative.*

16. An cappellani confraternitatum possint populo denuntiare festivitates et vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia parochi? — *Affirmative.*

17. An parochus invitis confratribus docere possit doctrinam christianam in praedictis ecclesiis et oratoriis publicis vel privatis a parochiali divisis et separatis? — *Negative.*

18. An in saepedictis ecclesiis publicis confraternitatum possint haberi publicae conciones, etiam per totum cursum Quadragesimae vel Adventus, cum licentia Ordinarii et absque licentia parochi? — *Affirmative.*

19. An in iisdem ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta sive cantata ante Missam parochialem sive lectam sive cantatam? — *Negative, nisi aliter Episcopus disponat.*

20. An ad parochum spectet, facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in saepedictis ecclesiis et oratoriis publicis confraternitatum? — *Affirmative, quando tumulandus est subiectus parocho, intra cuius fines est ecclesia vel oratorium.*

21. An intra ambitum earumdem ecclesiarum fieri possint processiones iuxta cuiusque confraternitatis institutum absque interventu vel licentia parochi? — *Affirmative.*

22. An eaedem processiones fieri possint extra

ambitum dictarum ecclesiarum absque licentia illorum parochorum, per quorum territorium transeundum est? — *Negative, nisi adesset licentia Episcopi.*

23. An in dictis processionibus cappellani confraternitatum possint deferre stolam? — *Negative, extra propriam ecclesiam.*

24. An, Episcopo accedenti ad ecclesias publicas confraternitatum, quae non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a parocho, in cuius territorio sunt sitae dictae ecclesiae? — *Negative.*

25. An earumdem ecclesiarum et confraternitatum rectores et cappellanos possit parochus, cessante speciali ac legitimo titulo et ex solo iure parochialitatis, compellere invitos ad assistendum functionibus ecclesiae parochialis? — *Negative.*

26. An in saepedictis ecclesiis confraternitatum neque parochialibus neque regularibus retineri possit SS. Eucharistiae Sacramentum sine speciali indulto Sedis Apostolicae? — *Negative.*

27. Praesupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi sine licentia Ordinarii? — *Negative.*

28. An possit parochus se ingerere in administratione oblationum, eleemosynarum in saepedictis ecclesiis recollectarum, vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere? — *Negative.*

29. An in ecclesia parochiali confratres vel eorum cappellani immiscere se valeant, invito parocho, in eiusdem ecclesiae functionibus sive parochialibus sive non parochialibus? — *Negative.*

30. An confraternitates, sive sint erectae in

ecclesia parochiali sive extra illam, possint pro libitu et iuxta uniuscuiusque peculiaria statuta congregationes suas facere absque interventu vel licentia parochi? — *Affirmative, dummodo non impediant functiones et divina officia.*

31. An possint propria bona administrare ac de illis disponere absque ulla dependentia a parocho? — *Affirmative.*

32. Quando parochus eisdem congregationibus intersit de mandato Ordinarii et tanquam eius delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? et quatenus affirmative,

33. An etiam suffragium duplex? — Ad 32 et 33: *Negative.*

Et ita, salvis tamen conventionibus et pactis in erectione confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis et a S. Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus et provincialibus et consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis, declaravit ac decrevit: " Si SSmo Domino Nostro „ videbitur, die 10 Decembr. 1703. Et facta deinde per me Secretarium de praedictis decretis SSmo D. N. relatione, praevia eorumdem integra lectura, Sanctitas Sua laudavit, benigneque approbavit et publicari, et, non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit. Die 12 mensis Ianuarii 1704. „

Quoad *alias Confraternitates;* iura ac officia respiciunt praesertim praecedentiam. Iamvero quoad praecedentiam, Archiconfraternitates, etsi origine posteriores, praecedere debent Confraternitates: ceterum servandae sunt normae statutae a Greg. XIII

per celebrem Constitutionem incip. *Exposcit.* Nimirum, ut ait Ferraris v. *Confraternitas*, a vi. nn. 15 et sqq. " Confraternitates laicorum in processionibus procedere et praecedere debent inter se iuxta Bullam Gregorii XIII incip, *Exposcit.* Sic S. Congr. Rit. in *Nepesina* 10 Maii 1608 et in *Thelesina* 19 Martii 1611. Unde confraternitas, quae prius saccum induit, praecedere debet aliis, quae postea induerunt. S. Cong. Rit. in *Sorana* 7 Aug. 1628 et in *S. Severinae Praecedentiae* 24 Sept. 1712. Excipitur tamen confraternitas SSmi Sacramenti, cui debetur praecedentia supra omnes alias confraternitates in illis processionibus, in quibus defertur SSmum Sacramentum, prout declaravit S. C. Rit. in *Vercellen.* 18 Iunii 1695, *Cremonen.* 3 Aug. 1697. In aliis vero processionibus confraternitas SSmi Sacramenti debet procedere et praecedere iuxta suam antianitatem sicuti ceterae aliae. S. Cong. Rit. in *Lauden.* 18 Iulii 1628 et *Nullius* 30 Sept. eiusdem anni. Ius praecedentiae non attenditur in regressu a processionibus. Eadem S. C. Rit. in *Vercellen.* 18 Iunii 1695. Confratres ad conveniendum solitis processionibus compellere potest Episcopus sub poenis pro eius arbitrio imponendis stante possessione illos vocandi per edicta. S. C. Conc. 21 Ian. 1622 et 8 Maii 1627. „

§ 5. *De modo obtinendi Indulgentias.*

Cum modi obtinendi indulgentias communes sint omnibus associationibus cuiuscumque speciei sint, hinc hic loquimur de Confraternitatibus latissimo sensu sumptis.

Porro Confraternitates obtinere possunt indulgentias sive *directe*, sive per *communicationem*. Quoad concessiones quae iisdem *directe* fiunt a R. P., adnotari debet: 1° quod sufficit ut Confraternitas fuerit ab Episcopo *approbata;* 2° requiritur praeterea ut verificentur *conditiones requisitae* sive a Brevi sive a Rescripto, inter quas communis est ea quae exprimitur per sequentem *clausulam*, quae apponi solet: " Si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata iam sit, vel in posterum aggregetur, seu quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituatur, priores et quaevis aliae Litterae Apostolicae illi nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint „ (D. 48. 8 Maii 1713).

Quoad concessiones per *communicationem* factas, sequentia sunt adnotanda.

Communicatio fieri potest vel ab ipso iure, vel ab homine. Communicatio fit ab ipso iure, quando statim ac Confraternitas aliqua erecta sit, iidem ab ipso iure communicantur indulgentiae Archiconfraternitatis eiusdem generis ac instituti, et quidem vel nulla vel aliqua requisita conditione. Exemplum huius generis communicationis habetur in Confraternitate Doctrinae Christianae; sufficit, enim, " ut aliqua Confraternitas Doctrinae Christianae in una civitate Archiconfraternitati aggregata sit, ad hoc, ut cunctae aliae ab Ordinario loci in tota dioecesi erectae seu erigendae, aggregatae censeantur, et omnium spiriritualium gratiarum et indulgentiarum, quibus dicta Archiconfraternitas fruitur, participes sint „ (D. 35. 23 Martii 1711). Exemplum vero communicationis ab ipso iure factae, abque ulla con-

ditione, habetur in Confraternitate SSm̃i Corporis Christi, " Confraternitates, enim, omnes et singulae Sanctissimi Corporis Christi ubique terrarum hactenus Apostolica vel Ordinaria auctoritate erectas aut posthac erigendas, absque nova aut peculiari alia concessione, communicatione vel aggregatione fore et esse debere participes quorumcumque privilegiorum, concessionum, indulgentiarum, facultatum, gratiarum et indultorum ab eodem Paulo V Archiconfraternitati SSm̃i Sacramenti de Minerva per Breve datum Romae apud S. Petrum die 3 Novembris 1606, nominatim et expresse concessorum ac *in posterum* a Sede Apostolica concedendorum, illisque omnibus et singulis uti, potiri, gaudere posse ac debere statim ac Confraternitatum earumdem erectio Apostolica vel Ordinaria auctoritate facta fuerit. „ (D. 13. 23 Apr. 1676). In Appendice referemus Summarium indulgentiarum Arch. SSm̃i Sacramenti de Minerva.

Communicatio fit *ab homine* quando ad hanc habendam requiritur actus quidam solemnis ex parte illius qui habet potestatem communicandi.

Omissis reliquis, qui hac potestate fruuntur, loquemur solum de *Ordinibus Regularibus*, atque de *Archiconfraternitatibus* quorum primi habent potestatem communicandi per *erectionem*, alterae per *aggregationem*.

Normae in huiusmodi communicationibus sequendae tam ab Ordinibus Regularibus quam ab Archiconfraternitatibus praescriptae fuere a Clemente VIII celebri Constitutione *Quaecumque*, die 7 Dec. 1604, quae confirmata et pristinae observantiae restituta

fuit a Pio IX per decretum *Urbis et Orbis* S. I. C. (388. 8 Ian. 1861). Hae autem sunt sequentes:

I. Unica tantum Confraternitas eiusdem instituti et generis institui et aggregari potest in ecclesiis tam saecularium quam regularium.

II. Tam institutio quam aggregatio fieri debet de consensu Ordinarii et cum litteris testimonialibus eiusdem.

III. Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicari debent privilegia et indulgentiae, Ordini vel Archiconfraternitati instituenti vel aggreganti nominatim concessae non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet.

IV. Statuta Confraternitatum examinari et approbari debent ab Ordinario loci et ab eodem corrigi.

V. Gratiae et indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgari possunt.

VI. Confraternitas eleemosynas excipere et erogare iuxta formam per Ordinarium praescribendam debet.

VII. Litterae erectionis vel aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque merae eleemosynae accepta, expediri et concedi possint, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura, vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis, cera, Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus eam quantitatem, quae non excedat summam scutatorum sex monetae Romanae in Italia, et extra Italiam non excedat summam libellarum

(vulgo *francs*) triginta, pro singula erectione vel aggregatione recipere liceat.

Praeterea qui facultatem habet erigendi vel aggregandi non potest privilegia sibi competentia *ampliare* sive *limitare* in erectione vel aggregatione, sicut etiam aggregationes *ad tempus* facere, hae enim in perpetuum fieri debent. (D. 171. 2 Martii 1748).

Quaestio fit an aggregationes quae *piae uniones* vocantur, atque instituta similia, quae sub confraternitatum vel Congregationum proprie dictarum nomine minime veniunt, comprehendantur sub sanctionibus Constitutionis Clementis VIII quae incipit *Quaecumque,* ac sub decreto diei 8 Ian. 1861.

Quaestio quam retulimus verbis Panici (*Animadversiones* pag. 30) solvitur ab eodem *affirmative;* at cum ipsa S. Indulgentiarum Congregatio, teste Panici, (l. cit. pag. 29) cognoverit necessitatem " ut generalis decreti ope declararetur, ac constitueretur, *pias* etiam *uniones* aliaque instituta similia quamvis ad Regulares pertinentia comprehendi sub sanctionibus praedictae Constitutionis et decreti.... ob superventa tamen rerum adiuncta, huiusmodi generale decretum neque evulgatum neque conditum fuit, „ in praxi retinendum est has pias uniones non comprehendi; licet omnino conveniens sit ut etiam istae piae uniones sequantur, quantum eis fas est, normas a Clemente VIII statutas.

§ 6. *De Cessatione seu extinctione.*

Hic loquimur praecipue de confraternitatibus proprie dictis sive stricte sive late sumantur.

Cum in genere existentia harum confraternitatum pendeat non tam ex facto ipsorum sodalium, quam potissimum ex facto ipsius auctoritatis, a qua *iuridicam* repetunt existentiam, hinc ex duplici etiam causa cessare possunt, scilicet vel ex facto proprio vel ex facto legitimae auctoritatis. Dixi *legitimae* auctoritatis; quidquid enim in damnum alicuius Confraternitatis peragere posset illegitima auctoritas, ut omnino irritum habendum est.

Porro omissis iis quae de facto proprio disseri possent, aliquid dicendum est de facto legitimae auctoritatis. Atqui, quoad hoc, duo tantummodo adnotamus: 1° quod in iure erectio Confraternitatis consideratur ut in perpetuum tempus facta. Quare etsi ob defectum confratrum Confraternitas aliqua deperierit, indulgentiae ac privilegia, atque ipsa erectio adhuc permanere censenda sunt; ita ut ad iterum instaurandam Confraternitatem opus haud sit nova erectione (D. 269. 28 Ian. 1839);

2° fas non esse, absque legitima causa, Inferioribus Papa supprimere Confraternitatem, etsi erectio ab iisdem facta fuerit. Ut enim bene observat Avanzini (*Acta S. Sedis* vol. IV. pag. 92). " Si quaeratur ratio cur Episcopus sine gravi causa non possit supprimere eiusmodi pias societates, (sermo est de quadam pia societate presbyterorum, quae nec erat canonice erecta) haec esse videtur: in quavis bene ordinata republica, princeps sua iura habet et subditi pariter sua iura; iuribus autem respondent mutua officia, ita ut princeps officium habeat servandi iura subditorum et subditi officia habeant obsequendi iuribus principum. In ecclesiastica autem republica,

quae ordinatissima esse debet, idem est dicendum: unde episcopi sua habent iura, et sua pariter iura habent fideles et ecclesiastici, quibus officia mutua respondere debent; perfectio enim et ordo societatis totus consistit in exercitio horum iurium et officiorum quibusque unusquisque in suo munere contineatur. Inter haec iura fidelium et ecclesiasticorum reperitur ius ad peculiare bonum faciendum sine laesione iurium aliorum et ecclesiasticae disciplinae; hoc autem bonum exercere potest quisque sive per se, sive cum adiutorio aliorum; hoc exercitium ad bonum cum adiutorio aliorum est peculiarum societatum initium; quod quidem exercitium non solum in bonum, quod sibi socii praestituant cedere solet, sed etiam in bonum eorumdem sociorum per mutua exempla et mutua auxilia.

Quare nisi gravis realisque causa adsit (puta si eiusmodi societates vergerent in damnum ecclesiasticae disciplinae, vel in damnum sociorum etc. vel fortasse ob necessitatem dioecesis) supprimi non possunt; laederentur enim dicta privatorum iura et obligationes mutuae peculiares pessumdarentur, quae legitime et facillime inter socios exoriuntur; si autem defectus irrepserint, hi ab Episcopo erunt emendandi, cui natura sua subest pia societas.

Et hoc praeterea est secundum indolem et spiritum catholicae Ecclesiae, quae non solum piis societatibus nunquam restitit, sine gravi realique causa, verum etiam easdem fovit ita ut, experimento facto, soleat easdem deinde proprias facere peculiari interventu suae auctoritatis, cuiusmodi est canonica erectio; et peculiaribus favoribus et privilegiis ditare. „

Nimirum ius in societatem coeundi fideles habent ex ipso communi iure; et *erectio* se habet tantum uti conditio ad legitimam societatem constituendam.

Art. II.

DE ADSCRIPTIONE IN CONFRATERNITATEM.

Adscriptio seu *inscriptio* est actus legitimus, quo quis recipitur inter membra alicuius Confraternitatis seu Associationis. Dicitur *legitimus*, qui scilicet fieri debet iuxta normas iuris ac cuiusque associationis proprias.

Bene distinguenda est adscriptio *formalis,* quae est ea quam descripsimus, ab adscriptione *materiali,* quae est inscriptio nominum novorum sodalium in associationis registris, quae quidem per se non est de essentia adscriptionis (*Acta S. Sedis* vol. IV. pag. 237), " materialis enim nominum inscriptio non est aliud nisi testimonium permanens receptionis ab eo datum qui in sodalitatem cooptat; et hoc testimonium pro indole cuiusvis sodalitatis potest esse magis vel minus necessarium vel utile ad aliquos consequendos effectus. Quae quidem inscriptio, cum non aliud sit nisi testimonium aggregationis, potest suppleri identidem per aliud documentum, puta, per aliud diploma, quod confratri tradatur „ (*Acta S. Sedis* l. cit.).

Porro, etsi materialis inscriptio non sit *de essentia* adscriptionis, est tamen ex ipso iure de *integritate* eiusdem; ita ut fidelis nequeat privilegiis ac indulgentiis Confraternitatis frui, nisi in albo seu *registro* Confraternitatis inscribatur. (D. S. I. C. 16 Iul. 1887).

Cum adeo necessaria sit adscriptio etiam materialis, omnem diligentiam adhibere debent qui facultatem habent adscribendi in locis, in quibus Confraternitas instituta non reperiatur, ut adscriptorum nomina revera in registro alicuius Confraternitatis relata sint. In litteris circularibus S. Cong. de Prop. Fide superius citatis dicitur quod nomina mitti etiam possunt ad proximiorem domum religiosam; ex eo quod facile supponi possit quod penes domum religiosam reperiatur erecta respectiva Confraternitas: vel, si non adsit, curabunt ipsi Religiosi ad aliquam ex Confraternitatibus ab iisdem erectis nomina mittere.

Normae quae in adscriptione servandae sunt aliae respiciunt personas *adscribendas*, aliae personas *adscribentes*, aliae demum *modum* ipsum adscribendi.

Quoad personas *adscribendas* pro *validitate* requiritur:

1° ut quis actu sit *membrum* Ecclesiae; agitur enim de societate incompleta quae pars est societatis perfectae, Ecclesiae; qui ergo non est actu membrum Ecclesiae neque potest esse societatis quae illius pars est;

2° ut *intentionem* habeat in numerum confratrum adscribi; agitur enim de ingredienda societate voluntaria, et expresse statuitur in Decr. 453. (26 Novembri 1880) " Non... inscribantur, nisi qui absentes quidem corpore, sed praesentes spiritu, scientes et volentes piae societati inscribi, iniuncta opera adimplere et indulgentias lucrari intendant; „

3° ut *praesens* sit (D. 437. 13 Apr. 1878). Quae praesentia a iure requiritur " non solum ut adscribendorum devotioni potius quam numero consuletur,

sed ut pluribus abusibus via praecludatur. „ (D. 453. 26 Novemb. 1880). Ex declaratione tamen facta ab ipsa S. I. C. Decreti 13 Aprilis 1878 (437) per Decretum 453. 26 Novemb. 1880, regula generali in suo robore manente, plures sane exceptiones locum habere possunt, vel ex peculiari sodalitatum quarumdam constitutione, quae sua natura exceptionem postulare videtur, vel ex specialibus quarumdam privilegiis, vel ex extrinsecis circumstantiis, vel ex benigna Apostolica dispensatione.

Cum agatur de re maximi momenti praeferimus verbis ipsius Decreti 453 haec omnia declarare.

I. " Primo itaque iuxta mentem Eminentissimorum Patrum distinguendum est inter Sodalitates pro universo orbe catholico [1]), ac Sodalitates pro certa tantum dioecesi vel regione canonice erectas, relate ad quas fideles, qui extra limites locali Sodalitati constitutos commorantur, *absentes* dicuntur, imo vero non *simpliciter absentes,* sed etiam *extranei* dici possunt. Huiusmodi locales Sodalitates, quemadmodum ex. gr. Confraternitas B. M. V. Guadalupensis, de qua sermo est in Americana Novi Regni Hispanici, in Confratres admittere nequeunt *absentes* extra limites Sodalitatis: atque hic primus est sensus memoratae resolutionis Sacrae Congregationis diei 28 Aprilis 1761, atque hoc primum sensu adscriptiones *absen-*

[1]) Non sunt confundendae sodalitates pro universo orbe catholico cum Archiconfraternitatibus quae ius habent aggregandi alias Confraternitates eiusdem nominis ac instituti in universo orbe, non vero adscribendi fideles in universo orbe, ut accidit pro pluribus Archiconfraternitatibus romanis.

tium tum decreto Urbis et Orbis diei 13 Aprilis 1878, tum praesenti instructione irritae omnino generali lege *sine ulla nova exceptione* declarantur.

II. Sodalitates etiam universales, relate ad quas nulli sunt primo hoc sensu *absentes* seu extranei, nequeunt in confratres admittere simpliciter *absentes;* scilicet requiritur ex iure adscribendorum personalis praesentia. At nullatenus mens fuit decreti, eam restringere ad locum ubi Sodalitas canonice erecta propriam habet sedem ac centrum; sed sufficit adscribendorum praesentia coram quocumque, qui quocumque in loco delegatam vel subdelegatam legitime habeat adscribendi facultatem: non sufficit vero moralis, interpretativa vel repraesentativa praesentia per litteras aut alio quovis modo per interpositas etiam personas: atque hic alter est sensus, quo adscriptiones *absentium* iuxta resolutiones in Americana et iuxta memoratum decretum irritae sunt, ac praesenti etiam instructione irritae quidem generali lege, sed *cum infrascriptis exceptionibus* declarantur.

III. Quamvis generatim relate ad communicationem indulgentiarum communes pro quavis Societate latae sint leges, praesertim in Constitutione Clementis VIII *Quaecumque,* tamen relate ad legem de non adscribendis *absentibus* eiusque exceptiones, aequum est distinguere inter Sodalitia, quae strictiori sensu collegia dici possunt, ut esse solent pleraeque proprii nominis Confraternitates ad modum organici corporis constitutae, et Sodalitia, quae laxiori modo sociali vinculo colligantur, ut esse solent plures etiam Confraternitates et pleraeque piae

Associationes, Congregationes, Aggregationes, Unio-
nes ac Pia Opera, ut vocant. Inter plura discrimina
quae ad praesentem scopum non refert nec facile
est accuratius inquirere, illud maxime ad rem per-
tinet advertere, quod strictiori sensu Collegia, seu
proprii nominis Confraternitates et Sodalitia, quae
ad illas in organica sui constitutione magis accedunt,
soleant etiam iuxta proprias leges pro sodalium in-
scriptione certam aliquam habere formam cum ali-
qua solemnitate ac ritu, ut publica candidatorum
petitio ac praesentatio, probatio aliqua et novitia-
tus, vel saltem impositio habitus, scapularis, cin-
cturae, quae ex sui natura personalem praesentiam
requirunt. Pro huiusmodi itaque Sodalitatibus cuius-
cumque sint nominis, nulla praesenti declaratione
datur generalis ac ordinaria exceptio a lege de non
adscribendis *absentibus:* tantum conceditur earum
Moderatoribus eorumque Delegatis, ut in casibus
singularibus dispensare possint a statuta forma in-
ter praesentes, ac *absentes* etiam per singularem seu
extraordinariam exceptionem rite adscribere.

IV. Pro Sodalitatibus etiam, piis Unionibus, piis
Operibus et cuiuscumque sint nominis, Societatibus,
quae nullam habent pro adscriptione sodalium for-
mam ac caeremoniam inter praesentes, decretum
quoad *absentes,* quantum fieri potest, rite servetur;
et potius *praesentium* adscriptio facilior reddatur
ac pro viribus promoveatur, multiplicatis canonice
associationum centris auctoque pro opportunitate
Zelatorum, Zelatricium, Promotorum, vel quovis no-
mine nuncupentur eorum numero, qui iuxta appro-
batas Sodalitii leges non modo inscriptionum utcum-

que promovendarum officium, sed etiam *adscribendi subdelegatam habeant facultatem.* Sed quum id nec semper, nec ubique fieri possit, nec plane sufficiat, apostolica benignitate indulgendum esse videtur, ut, qui *praesentes* commode nequeunt, non omnino excludantur, sed quamvis *absentes* per litteras, vel interpositas personas, quae eos repraesentent, adscribi discrete valeant, vitando simul abusus, quibus maxime praecavendis adscribendorum praesentia exigitur. Itaque quum plurium diversi nominis Sodalitatum ac piorum Operum vis et utilitas maxime sit in fidelium *numero*, qui ad varia pietatis et charitatis exercitia consociantur, ne praesentiae conditio impedimento sit felicibus Societatum incrementis, ac ne plurimi fideles bonae voluntatis ab inscriptionis beneficio contra decreti mentem praepediantur, Sacra Congregatio, attentis plurium Sodalitatum et maxime Episcoporum postulationibus, praesenti hac dispositiva declaratione per amplam a littera legis exceptionem apostolica auctoritate declarat, etiam *absentes* ad huiusmodi pias Associationes adscribi posse, servata tamen decreti mente, spiritu ac scopo, ut scilicet non solum augeatur numerus, sed etiam adscribendorum devotioni consulatur, non temere, leviter ac turmatim collectis nominibus, sed discrete, ne alii, quantum fieri potest, inscribantur, nisi qui absentes quidem corpore, sed praesentes spiritu, scientes et volentes piae Societati adscribi, iniuncta opera adimplere et indulgentias lucrari intendunt.

V. Porro exceptiones speciales vel ob probata quarumdam Sodalitatum statuta, quae absentium

etiam inscriptionem includere, aut supponere, aut flagitare videntur; vel ob privilegia; vel ob singularem fidelium devotionem sua directe mittendi nomina ad insignia quaedam Sanctuaria, Sodalitatum centra; vel denique ob varia Sodalitatum, personarum, locorum ac temporum adiuncta, partim iam vel declaratae, vel ad tempus concessae, quin necesse sit eas singillatim recensere, generali hac decreti benigna interpretatione et dispositiva declaratione simul omnes comprehenduntur, ratae habentur, confirmantur atque ampliantur.

Hanc vero Sacrae Congregationis instructionem et declarationem SSmus D. N. Leo Papa XIII, in audientia ab infrascripto Cardinali eiusdem Congregationis Praefecto die 26 mensis Novembris 1880 habita, benigne approbavit et promulgari mandavit, ac sanatis prius, si quae factae fuerint, irritis *absentium* adscriptionibus, decretum diei 13 Aprilis 1878 in posterum iuxta praesentem benignam interpretationem et dispositivam declarationem observari praecepit. „

Quaestio fit I. an defuncti adscribi possint in Confraternitatem [1]).

[1]) Relate ad adscriptionem defunctorum sequentia leguntur in Opere cui titulus *Acta S. Sedis, nec non Magistrorum et Capitulorum generalium Sacri Ordinis Praedicatorum pro Societate Rosarii...* volumen primum pag. 292. "Inscriptio defunctorum albo Confraternitatis Sanctissimi Rosarii licet ex veteri consuetudine apud Sodalitates SS. Rosarii quamplurimas usurpata (vide vol. II. pag. 1216, 1319) hodie quidem omnino abrogata censeri debet. Nonnulli vero hanc inscriptionem defunctorum Bullae Alexandri VI, *Illius qui*

Ut patet non potest esse sermo de *proprie* dicta adscriptione. Confraternitates enim sunt verae societates licet *incompletae* [1]), quatenus scilicet pars sunt societatis perfectae quae est Ecclesia; atqui quae-

perfecta charitas est, 13 Iunii 1495 (vide vol. II. pag. 18) innixi, veluti pro Societatibus SS. Rosarii ex privilegio approbatum tenebant. De authenticitate huiusce Bullae disputationes acriter ac nuperrime diu agitatae perdurarunt. Ut verum fateamur quamvis sub initio saeculi decimi octavi Rmus P. Bremond asserat duplex exemplar in Archivio Ordinis tunc asservari (vide vol. II. pag. 19), hodie tamen originale, vel etiam transumptum authenticum neque in Archivo Ordinis Praedicatorum, neque in Archivo Vaticano, neque in Archivo Lateranensi reperiri potuit.

Quidquid sit vero de authenticitate huiusce diplomatis, certum est a S. Congregatione S. Officii hanc Bullam, sive defectu authenticitatis irretitam, sive fortassis revocatam (vide vol. II. pag. 18 in nota) tum quoad indulgentias, tum quoad defunctorum inscriptionem fuisse reiectam, et cum praedicta Bulla in Summario a Rmo P. Fr. I. B. de Marinis anno 1668 edito in lucem restituta fuisset e Summario *Nuper pro parte* anno 1669 a S. Congreg. Indulg. iterum reiectam, neque postea ab ipsa S. Congreg. in Summarium anni 1862 admissam. Praeterea addere velis a S. Congregationis Romanae et Universalis Inquisit. (decr. 12 Iul. 1703, 25 Maii 1864 et 13 Decemb. 1876) omnino prohibitum fuisse, ne defunctorum nomina in regestis Sodalitatum inscribantur. De quo confer volumen II. pag. 18; 685, 706, 727, 729. „

[1]) Relate ad conceptus societatis perfectae seu completae et incompletae, quae pars illius est, cfr. S. Thomam I. 2. q. 90. a 2. ad 3. — Taparelli, *Saggio teoretico di dritto naturale*, seconda edizione, Prato, tipografia Giacchetti, figlio e C. 1883 vol. I. c. VI. — Card. Tarquini, *Iuris ecclesiastici publici Institutiones*. Romae ex officina libraria Bonarum Artium 1862 pag. 21 et sqq. — Salvatoris Tongiorgi S. I. *Institutiones Philosophiae moralis in compendium redactae*. Romae typis Bernardi Morini 1863 lib. II. c. IV. a. I.

nam societas defunctos inter ac vivos esse potest? Praeterea defuncti non sunt amplius membra Ecclesiae, subiecta eiusdem iurisdictioni ; ergo neque possunt esse membra societatis quae pars est Ecclesiae. Sermo igitur tantummodo potest esse de inscriptione *improprie* dicta, qua defuncti participes fiant suffragiorum quae in Confraternitate fiunt. Per se nihil absonum in adscriptione hoc modo concepta videtur esse, sed iure ob inconvenientia, quae ex occasione eiusdem sequi possunt, prohibetur.

II. An idem vir possit aggregari multis sodalitatibus, et lucrari indulgentias unicuique concessas, dummodo conditiones praescriptas implet.

Huic *dubio* S. I. C. per decretum 291. 29 Maii 1841 respondit *affirmative ;* et sane nulla potest esse ratio in contrarium.

III. An adscribi possit infans ante usum rationis.

Beringer tom. II. pag. 69 citat decisionem S. I. C. 13 Decemb. 1876, quae huic quaestioni respondit: " *non expedire.* „ At bene notat idem Auctor loc. cit. " Quant à la décision de la S. Congrégation, qu'il n'est ni convenable ni utile de faire entrer dans une confrérie des enfants qui n'ont pas l'usage de la raison, il faut la maintenir en principe, et s'y conformer dans la plupart des cas. Cependant la nature même de quelques confrérie ou associations peut justifier parfois une exception. Ainsi en est-il p. ex., de la Sainte-Enfance, dans laquelle des parents chrétiens font inscrire leurs tout jeunes enfants (comme d'ailleurs les statuts les y autorisent), et récitent eux-mêmes à leur place la petite prière prescrite. „ Cfr. quae diximus in part. II. pag. 108.

IV. An religiosi adscribi possint.

Quoad viros nulla videtur esse difficultas, nisi quod tenentur ratione voti obedientiae id peragere cum Superioris consensu, et quidem etiam quoad validitatem si agatur de professis cum votis solemnibus; quoad vero foeminas difficultas sumitur ex iis quae habet Ferraris v. *Moniales,* a. VI. n. 13. " Moniales nequeunt se facere adscribi in Societatibus Rosarii, Chordae, Cincturae et huiusmodi. Sac. Cong. apud Pignatelli tom. 6. cons. 85. num. 21 etc., Sed bene observat *Revue des Sciences ecclesiastiques, Mai 1892 pag. 427.* " Il ne faut pas voir là une défense absolue qui ne souffrait aucune exception, mais une règle de conduite tracée par l'Eglise qui se montrait alors peu favorable à l'inscription des religieuses dans les confréries. Outre cette décision citée par Ferraris, nous croyons en trouver d'autres preuves dans le refus qu'elle fit plusieurs fois de commuer, pour des religieuses, les articles des statuts incompatibles avec la clôture religieuse. La S. Congrégation des Indulgences a deux décisions de ce genre dans les *Decreta authentica.*

Les *Rescripta* renferment aussi plusieurs refus de cette sorte. La S. Congrégation des Evêques et Réguliers s'est prononcée d'une manière très catégorique à ce sujet. Le 1er mars 1782 elle fit écrire à l'Evêque d'Albenga: " La S. Congrégation n'approuve pas que les religieuses se fassent inscrire dans les confréries; toutefois pour éviter les inconvénients plus graves que vous prévoyez, les Eminentissimes Cardinaux sont d'avis qu'on peut tolérer l'usage introduit dans le monastère, tel que vous

l'avez décrit, et avec la permission de la Supérieure. Vous prendrez occasion de là pour faire comprendre au confesseur qu'il doit employer tous ses soins pour déterminer les religieuses à embrasser la vie commune.... „ Depuis, la S. Congrégation des Indulgences s'est montrée plus favorable à l'entrée des religieuses dans les confréries. On rencontre dans les *Rescripta* plusieurs concessions autorisant les membres des communautés qui sont déjà inscrits *ou qui se feront inscrire à l'avenir* à faire dans leurs chapelles les visites exigées, ou les dispensant des œuvres incompatibles avec leurs règles.

Les religieuses peuvent donc aujourd'hui, sans aller contre l'esprit de l'Eglise, se faire inscrire dans les confréries; mais il faut que ces confréries ne soient pas en opposition avec l'esprit propre de l'institut, et, en outre, qu'elles aient, comme le requiert la S. Congregation des Evêques et Réguliers, la permission de lenrs Supérieures. „

Pro *liceitate*:

" Cum Confraternitas significat adunantiam personarum piarum (ut bene notat Bassus *de Sodalitiis* q. 1. 4.) in ordine ad divinum servitium et opera pietatis.... et ad hoc ut confratres in misericordiae et charitatis operibus se exerceant; idcirco ii sunt inter confratres adscribendi qui sunt *probi viri* et timent Deum, ac christiana charitate fervidi ad aemulandum charismata meliora, non autem malae vitae, facinorosi aut alia labe notati, neque qui ignorant rudimenta fidei. „

Relate ad personas adscribentes:

Inspicienda sunt statuta cuiusque Confraternitati

propria. Quoad Confraternitates late sumptas generatim est Director seu Moderator ipsius Confraternitatis, qui ut plurimum deputatur ab Episcopo. Adverti etiam potest quod cum non agatur de actu iurisdictionis, per se etiam foeminae possunt adscribere. Quod si agatur de inscriptione materiali nominum eorum, qui recipiuntur in Confraternitatem, haec fieri potest a quocumque, dummodo Christifideles rite sint recepti ab habente facultatem (D. 145. 20 Iulii 1744).

Relate ad *modum* quo fieri debet *adscriptio*, similiter nihil generatim dici potest; tantummodo prae oculis habeantur ea quae habentur in citato Decreto (453). " Quum fidelium piis Sodalitatibus adscriptio per se actus sit religionis et pietatis, adeo ut dies, qua fidelis piae alicui Societati inscribitur, plerumque a Sancta Sede indulgentiis ditata sit, decet omnino, ut ipsa inscriptio serio ac devote certo aliquo modo fiat ac debita forma. „

Nota. Quoad lucrationem indulgentiarum, in commodum eorum qui alicui Confraternitati adscripti sunt referimus Decretum S. I. C. die 20 Augusti 1887. " SSmus benigne declarari et decerni mandavit.... Indultum Clementinum (ut... confratres et consorores aliqua corporis infirmitate laborantes vel carceribus detenti eisdem omnibus et singulis indulgentiis, quibus gaudent ceteri confratres et consorores, gaudere possent, ita tamen ut, omissa visitatione Ecclesiae alia pia iniuncta opera, quae pro viribus peragere possent, fideliter ac devote exsequerentur...) extendi ad omnes Confraternitates, Sodalitates et Congregationes, quin in posterum quaelibet Confraternitas, Sodalitas seu Congregatio opus habeat speciali recursu ad S. Sedem, ut praefato Indulto perfrui valeat. „ (*Acta S. Sedis* vol. xx. pag. 207).

APPENDICES

APPENDIX PRIMA

DOCUMENTORUM

I.

Regulae a Benedicto XIV pro Jubilaeo traditae [1])

(ex *Appendice ad decreta authentica S. C. Indulg.* p. 493 et sqq.)

I. *Ex Bulla* Peregrinantes *d. d. 5 Maii 1749, qua iubilaeum indicitur.*

§ 6. Iubilaei anno durante, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, [1]) sacraque Communione [2]) refectis, qui Beatorum Petri et Pauli, necnon S. Ioannis Lateranensis et Sanctae Mariae Maioris de Urbe Basilicas semel saltem in die, [3]) per triginta continuos aut interpolatos dies, sive naturales, sive etiam ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, si Romani, vel incolae Urbis, si vero peregrini aut alias externi fuerint, per quindecim saltem huiusmodi dies, devote visitaverint, et pro sanctae Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, catholicorum Principum concordia, et christiani populi salute et tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam misericorditer in Domino concedimus et impertimur.

1) In commodum eorum qui non habent *Decreta authentica* hic per integrum Regulas a Benedicto XIV pro Iubilaeo traditas referimus, utpote quae sunt veluti fundamentum omnium quae ad Iubilaeum spectant (v. pag. 94).

1. " Nos hac formula *vere poenitentibus et confessis* Confessionem actualem intelleximus semperque intelligemus. „ (Benedict. XIV *Inter praeteritos* I. § 7).
2. " Nos sub sacrae Communionis nomine sacramentalem simul ac spiritualem Communionem intelleximus atque intelligemus „ (l. c. I. § 2).
3. " Nos communi atque obvio verborum sensui *semel saltem in die* communi Doctorum opinioni ac praecedentibus resolutionibus adhaerentes protestamur, Nos in Constitutione Nostra *Peregrinantes* visitationem quatuor Basilicarum in uno die fieri debere intellexisse „ (l. c. § 11).

§ 7. Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe, morbo, vel alia legitima causa detenti, aut morte praeventi, praefinito dierum numero non completo, ac ne fortasse quidem inchoato, praemissa exsequi, et dictas Basilicas visitare nequeant; Nos piae promptaeque illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes et confessos, ac sacra Communione refectos, praedictae indulgentiae et remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas diebus a Nobis praescriptis reipsa visitassent; ut praefatis necessitatibus impediti, desiderii sui effectum, dono Sancti Spiritus, consequantur.

II. *Ex Bulla* Cum Nos nuper *d. d. 17 Maii 1749, qua indulgentiae et facultates suspenduntur.*

Cupientes, ut christianae nationes ex omnibus terrarum Orbis locis in hac Urbe Nostra, in fidei ac religionis unitate congregatae, eodem pietatis ac devotionis spiritu Basilicas praedictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem lubilaeo visitantes et frequentantes, tanti et tam certi spiritualis emolumenti compotes fiant; multorum Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum exemplo adducti, indulgentias et facultates ab Apostolicae Sedis liberalitate alias emanatas, pro hoc anno suspendere, et ni-

hilominus tum spiritualibus fidelium per universum Orbem degentium necessitatibus paterna charitate consulere; tum pium devotionis fervorem erga laudabilia quaedam religionis et pietatis opera in Christianorum animis conservare et fovere; tum demum suffragia in fidelium defunctorum levamen atque subsidium erogari solita neutiquam imminuere, eorumdem Praedecessorum vestigiis insistentes, decrevimus et constituimus.

§ 1. Itaque, praeservatis et firmis remanentibus indulgentiis concessis in articulo mortis, ac facultatibus seu indultis illas impertiendi seu communicandi, tam Venerabilibus Fratribus Episcopis, ac dilectis Filiis Praelatis locorum Ordinariis, in vim, seu ad formam Nostrarum Literarum nonis Aprilis anni 1747 editarum, quam aliis quibuscumque communiter aut personaliter, seu pro certo personarum genere, gradu aut numero concessis; iisque pariter, quas fel. record. Praedecessor Noster Benedictus Papa XIII cunctis fidelibus Salutationem Angelicam, seu alias preces de tempore, mane, aut meridie seu vespere, ad campanae pulsum, de genu, vel, iuxta dierum et temporum rationem, stando recitantibus; item indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, quam ipse Benedictus, novissimo Iubilaei anno durante, omnibus Christifidelibus, tam in Urbe, quam extra eam ubicumque degentibus, qui sacramentaliter confessi et sacra Communione refecti, vel saltem vere contriti et cum firmo proposito confitendi, ecclesias, in quibus augustissimum Eucharistiae Sacramentum pro oratione quadraginta horarum, eo anno durante, expositum esset, devote visitassent, ibique iuxta S. Matris Ecclesiae mentem orassent, toties quoties id egissent, benigne concessit, quamque Nos etiam, illius exemplo, pro proxime ineunte Iubilaei anno, et tam pro Urbe, quam pro aliis ubique locis, praesentium tenore, libenter concedimus et elargimur; atque illis etiam, quas similis memoriae Innocentius XI et Innocentius XII, Romani Pontifices, Praedecessores Nostri, fide-

delibus, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, cum ad infirmos defertur, devote comitantibus, vel lumen aut facem per alios ea occasione deferendum, seu deferendam mittentibus, similiter concesserunt: tum etiam indulgentiis a S. R. E. Cardinalibus de Latere Legatis, et Apostolicae Sedis Nuntiis ac Episcopis, in usu seu exercitio Pontificalium, aut impertienda Benedictione aliave forma consueta, concedi solitis; item salvis et firmis remanentibus indulgentiis altarium privilegiatorum pro fidelibus defunctis, aliisque eodem modo pro solis ipsis defunctis concessis; atque etiam aliis quibuscumque indulgentiis et peccatorum remissionibus, alias pro vivis concessis, ad effectum duntaxat, ut Christifideles illas animabus fidelium defunctorum, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii directe applicare valeant; quas omnes et singulas, licet, pro eo quod respicit vivorum favorem, hoc Iubilaei anno durante, generaliter, ut infra, suspensas, ad praedictum tamen effectum, ipsius anni decursu, etiamsi in earum concessionibus huiusmodi applicandi facultas indulta non fuerit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui iniuncta in ipsis concessionibus opera cum debitis dispositionibus impleverint, acquiri posse concedimus et indulgemus.

§ 2. Praeservatis etiam et firmis remanentibus facultatibus tribunalis Officii Inquisitionis adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolica instituti, eiusque Officialium; Missionariorum quoque et Ministrorum, qui ab eodem tribunali, seu a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praeposita, vel alias a Sede praedicta ad id deputati fuerint, et praesertim facultate absolvendi ab haeresi illos, qui, abiuratis eorum erroribus, capaces eiusmodi absolutionis redduntur; aliisque facultatibus, quae ab Officio Poenitentiariae Nostrae Apostolicae, Missionariis, in locis Missionum, earumque occasione, ab ipsis exercendae, concessae fuerint; item salvis et illaesis remanentibus facultatibus

tam Venerabilium Fratrum Episcoporum, aliorumque Superiorum Antistitum in suis respective dioecesibus, circa dispensationes et absolutiones suorum subditorum in casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, prout ipsis a Sacra Tridentina Synodo. seu alias, etiam in publicis, a iure communi ecclesiastico et ab eadem Apostolica Sede, pro certis personis et casibus, indultae permissaeque dignoscuntur; quam etiam Superiorum Ordinum Regularium, quaecumque ipsis in Regulares pariter sibi subiectos a Sede Apostolica praedicta tributae fuerunt.

§ 3. Ceteras omnes et singulas indulgentias, tam plenarias, quam non plenarias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones ac facultates et indulta absolvendi, etiam a casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Litteris die Coena Domini legi solitis contentis, seu relaxandi censuras, commutandi vota, aut dispensandi etiam super irregularitatibus et impedimentis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam S. Ioannis Ierosolymitani, domibus, militiis, Ordinibus, etiam mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam laicorum, Universitatibus et piis locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magistris, Superioribus, et tam saecularibus, quam quorumvis etiam mendicantium Ordinum Regularibus personis, coronisque, granis, imaginibus et numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter, quam universaliter, per quoscumque Romanos Pontifices, Praedecessores Nostros, ac etiam Nos, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum et aliorum Principum, aut ipsi etiam Imperatori, Regibus, Ducibus et Principibus, vel aliis quacumque alia mundana vel ecclesiastica dignitate fulgentibus, etiam ad instar Iubilaei, aut alias quomodocumque, et ex quibusvis causis et occasionibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia ac alias quomodolibet concessas et concessa, quorum omnium tenores, formas,

derogationes et decreta praesentibus pro expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate, de eorumdem Fratrum consilio et assensu, ac potestatis Nostrae plenitudine, suspendimus et suspensas, ac suspensa esse declaramus, easque, et ea, eodem anno durante, nulli prodesse ac suffragari debere; irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

III. *Ex Bulla* Convocatis *d. d. 25 Nov. 1749, qua Poenitentiariis Urbis facultates conceduntur.*

Nos laudabilibus eorum (sc. Praedecessorum Nostrorum) vestigiis inhaerentes, simulque cupientes gravissimam hanc pastoralis dispensationis partem, certa rectaque ratione administrari, nec ullum, quoad eius fieri poterit, circa facultatum praesertim limites, earumque usum et exercitium, dubitationi aut errori locum relinqui; post maturam deliberationem super his rite praehabitam, Nostro motu proprio, certaque scientia, rem totam ad eum, quem subiicimus modum ordinandam dirigendamque decrevimus.

1. Inprimis itaque dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Maiori Poenitentiario per praesentes committimus ac demandamus, ut iuxta id, quod iam pridem in Nostra Constitutione incipien. *In Apostolicae Poenitentiariae Officio*, Idibus Aprilis anni 1744, Pontificatus Nostri anno quarto edita, pro perpetuis futuris temporibus praescripsimus, praeter consuetos trium Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, S. Petri in Vaticano et S. Mariae Maioris Poenitentiarios Minores, pro Basilica etiam S. Pauli extra muros praesenti anno sancto similes Poenitentiarios designet; necnon, praeter extraordinarios Poenitentiarios in dicta Basilica Sancti Petri certis cuiusque anni diebus inservientes, nunc autem per totum annum sanctum aliis insuper diebus, eiusdem Poenitentiarii Maioris arbitrio praescribendis, inservituros,

a se iam electos vel eligendos, alios insuper, eodem anno sancto durante, tam in memoratis quatuor Basilicis, quam in reliquis quoque sive saecularium, sive regularium, et nominatim, quantum fieri poterit, in variarum nationum Urbis ecclesiis, novos similiter Poenitentiarios deputet, et extra ordinem abunde multiplicet.

2. Deinde dilecto itidem Filio Nostro S. R. E. Cardinali, Nostro in Urbe eiusque districtu Vicario in spiritualibus Generali, commisimus pariter atque iniunximus, ut ex confessariis tam saecularibus, quam regularibus, ab se alias ad audiendas Romae confessiones approbatis, quamplures magno numero designare non omittat; immo etiam, si ita ad concurrentium tam Romanorum, quam exterorum utilitatem et commoditatem necessarium aut expediens fore iudicaverit, omnes, a se, ut praediximus, approbatos, vel approbandos, designare in eum finem non dubitet, ut facultatibus illis, quae a Nobis inferius, earumdem praesentium tenore, confessariis huiusmodi ab eo designandis tribuentur, statim se a Nobismetipsis instructos esse intelligant, easque exercere libere valeant, audiendisque confessionibus fidelium quorumcumque, Iubilaeum huius anni sancti lucrari volentium, operam dare aggrediantur, et assiduo pro charitatis et zeli studio pergant. Pro confessariis autem Monialium, aliarumque virginum, seu mulierum in perpetua clausura Romae viventium, sicut etiam Oblatarum, aliarumque in religiosis aut piis domibus, seu conservatoriis degentium, necnon carceribus detentorum, et morbis impeditorum, quaecumque opus erunt, quaeque Nobis in Domino expedire videbuntur, aliis Nostris peculiaribus Litteris statuemus.

3. Porro Poenitentiariis sive in quatuor praefatis Basilicis, sive in aliis Urbis ecclesiis per Cardinalem Maiorem Poenitentiarium, ut praefertur, deputatis, vel per anni sancti cursum deputandis, subsequentes facultates, pro hoc dum-

tazat anno sancto duraturas, de Apostolicae potestatis plenitudine concedimus et impertimur, videlicet:

4. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae, quascumque personas sibi confitentes, etiam Regulares, cujuscumque sint Ordinis, Congregationis, et Instituti, etiamsi ex praescripto Superiorum, vel suarum Constitutionum, etiam a Sede Apostolica approbatarum, vel alias ex indulto, decreto, aut praecepto Apostolico, extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur, [1]) a quibuscumque sententiis excommunicationis, aliisque ecclesiasticis censuris, etiam Summo Pontifici, et Sedi Apostolicae quomodolibet, etiam in Bulla Coenae, reservatis, et a sacris canonibus fulminatis, necnon ab omnibus peccatis, et excessibus quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, injunctis tamen salutaribus poenitentiis, et aliis de jure iisdem poenitentibus injugendis.

1. " Magna ea controversia est, num aliqui Regulares tempore jubilaei anni sancti, sive alias, dum jubilaeum conceditur et poenitentibus facultas datur eligendi confessarium ab Ordinario approbatum, possint confiteri confessario saeculari vel regulari alterius Ordinis ab Ordinario pro confessionibus saecularium audiendis approbato, idque sine Superiorum suorum licentia; cum aliquot religiosae Communitates, sive Religiones privilegia a Summis Pontificibus eisdem concessa habeant, ut, non obstante facultate, quae occasione jubilaei conceditur, confitendi confessario ab Ordinario approbato, vetitum tamen sit eorum alumnis, nisi ad id expressus Superiorum suorum Regularium assensus concurrat... Nos vero, nihil eorum juri detrahentes, verum, ut dici solet, *jura juribus addendo*, ad unicum dumtaxat finem, ut tutiores semper conscientiae reddantur, inter facultates, quas hoc anno sancto vertente Poenitentiariis Basilicarum concedimus, etiam illam expressimus, ut possint scilicet absolvere quascumque personas sibi confitentes a quibuscumque " etc. *(ut in contextu)*. (Bened. XIV. *Inter praeteritos* III. §. 2. n. 35 et 36).

5. Absolvere item possint a supradictis censuris in jure latis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, quamvis publicae in partibus sint, quamvis deductae, aut nominatim decla-

ratae, ac denuntiatae in iisdem partibus sint, per locorum Ordinarios, aut alios quoscumque judices; praemonitis tamen poenitentibus de libello, ut infra, in his casibus publicis omnino conficiendo. Post absolutionem nimirum conficiant libellum supplicem, expresso nomine, cognomine ac dioecesi poenitentis, et casu hujusmodi publicae censurae subjecto; et subtus scribant testimonium absolutionis ab eadem censura concessae; eumdemque poenitentem dirigant ad Officium Poenitentiariae Apostolicae, ut recipere possit Breve in forma missi, vel remissi absoluti, juxta praxim ejusdem Officii Poenitentiariae.

6. A censura ab homine, seu a quocumque judice de partibus nominatim lata, absolvere valeant ad effectum dumtaxat indulgentias praesentis jubilaei consequendi: ita ut, semel ac consecuti jubilaeum fuerint, eadem, qua antea, censura adstricti remaneant, ac teneantur parere judicis sententiae, et absolutionem ab eodem petere, perinde ac si numquam absoluti fuissent. Atque his poenitentibus nullum detur testimoninm absolutionis, neque confessionis.

7. Absolvere insuper valeant, pro foro conscientiae tantum, a censuris propter haeresim formalem externam incursis, dummodo tamen poenitens neminem habeat haeresis complicem; praevia coram ipso confessario abjuratione secreta; atque etiam pro casu, quo poenitens habeat quidem haeresis complicem, vel complices, sed hujusmodi complex seu complices, in regionibus, ubi haeresis impune grassatur, existant et degant.

8. Omnia, et singula simplicia vota, etiam Sedi Apostolicae reservata, etiam jurata, commutare dispensando in alia pia opera.

9. Votum tamen perpetuae castitatis, nonnisi mulieribus ita commutare possint, ob periculum incontinentiae, vel ob timorem pudicitiae, et quidem tantummodo ad effectum nubendi; easdem monendo, facturas contra idem votum, si extra usum matrimonialem delinquunt; reman-

suras eodem prorsus, ac antea, voto castitatis obstrictas, si marito supervixerint.

10. Votum autem Religionis iisdem tantum mulieribus commutare dispensando possint ad effectum nubendi, si alterutra supradicta causa intercesserit; ad effectum vero vitam tantum coelibem in saeculo ducendi, si vel dote sufficiente ad ingrediendum Religionem careant, vel Religionis onera sufferre posse rationabiliter diffidant.

11. Habeant etiam prae oculis, quoad vota, infrascriptum monitum, quod inter alia pro ipsis Poenitentiariis mox subjicienda, positum est n. 32. (pag. infra 16.)

12. Dispensare possint super irregularitate ob violationem censurarum dumtaxat contracta, et occulta remanente, cum sacerdotibus, aut in sacris constitutis, tam saecularibus, quam regularibus.

13. Cum illis, qui scientes, vel ignoranter cum impedimento secundi et tertii, vel tertii solius, aut tertii et quarti, vel solius quarti gradus consanguinitatis vel affinitatis, etiam ex copula licita provenientis, Matrimonium jam contraxerunt, dummodo hujusmodi impedimentum occultum remaneat, dispensare pro foro tantum conscientiae possint, ad remanendum in Matrimonio.

14. Cum illis, qui a Dataria Apostolica dispensationem obtinuerint super aliquo impedimento publico, quod tamen non sit primus et secundus, vel secundus tantum gradus consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita provenientis, et prae verecundia copulam inter eos secutam in eadem Dataria tacuerunt (dummodo nullitas praedictae dispensationis ex hujusmodi reticentia proveniens occulta sit) dispensare pro foro tantum conscientiae valeant, tam ad remanendum in Matrimonio jam contracto, quam ad illud contrahendum, si nondum sit contractum.

15. Dispensare item pro foro tantum conscientiae valeant super impedimento dirimente occulto tam primi et secundi, quam primi tantum, aut secundi tantum gradus affinitatis,

ex copula illicita provenientis, tam in Matrimonio contracto, quam in contrahendo.

16. Dispensare similiter pro eodem foro, tam de contracto, quam de contrahendo, possint super occulto impedimento criminis, neutro tamen machinante; idest quando solum concurrant adulterium, et fides data de Matrimonio contrahendo post conjugis mortem.

17. In praedictis matrimonialium dispensationum casibus possint etiam, quandocumque opus fuerit, pro foro conscientiae, legitimare prolem, non tamen ex adulterio susceptam.

18. Dispensare ad petendum debitum possint in casu affinitatis incestuosae Matrimonio supervenientis.

19. Ad petendum pariter debitum, cum illis, qui voto simplici castitatis obstricti, Matrimonium contraxerunt, dispensare valeant; illas monendo, facturos contra id votum, si extra usum matrimonialem delinquant, ac remansuros eodem prorsus. ac antea, voto obstrictos, si conjugi supervixerint.

20. Super visitatione quatuor Basilicarum, cum exteris, qui vel ob paupertatem, vel ob aliam urgentem causam, in Urbe remanere non possunt, dispensare valeant, vel reducendo ad tres saltem dies visitationes earumdem quatuor Basilicarum, alioquin per quindecim dies ab iisdem visitandarum, vel visitationes praescriptas in alia pia opera, ad ipsorum Poenitentiarium prudens arbitrium, commutando.

21. Cum civibus autem et incolis Romanis, qui morbo, vel aliquo legitimo impedimento detenti, non valent praefatas Basilicas visitare, possint praescriptas iisdem per triginta dies visitationes in alia pia opera, quae illorum possibilitati proportionata esse viderint, dispensando commutare; suam tamen conscientiam oneraturi, si super hujusmodi visitationibus inconsulto, et sine justa et rationabili

causa, sive cum exteris, sive cum Romanis civibus, aut incolis dispensaverint.

22. Quia vero magnopere interest concessis facultatibus prudenter et circumspecte uti; ne minus caute illas exercendo, tum justo disciplinae vigori, tum ipsarum animarum vero bono detrimentum afferri contingat: ideo post facultates a Nobis pro hoc anno sancto memoratis Poenitentiariis concessas, congruum et opportunum ducimus, nonnulla monita pro recto earumdem facultatum usu subjungere; quae quidem tam ab ipsis omnibus et singulis, quam etiam reliquis confessariis, ut supra, designandis, attente legi et considerari jubemus, ac pro norma et regula haberi, cui se in suae quisque facultatis exercitio, prout casus poposcerit, exacte conforment.

23. Primo itaque meminerint, nulli penitus confessario dari in praesenti jubilaeo, aut in quovis alio, facultatem absolvendi complicem in quolibet inhonesto contra sextum praeceptum peccato; atque omnem confessarium, respectu hujusmodi complicum, esse omni tum jurisdictione, tum approbatione destitutum, et prorsus ineligibilem, cujuscumque jubilaei, sive indulti beneficio, ad normam Constitutionis Nostrae incipien. *Sacramentum Poenitentiae,* anno Incarnationis Dominicae 1741 Kalendis Junii, Pontificatus Nostri anno primo editae.

24. Intelligant hujusmodi facultatibus peculiaribus a Nobis, ut supra, pro hoc anno sancto sibi concessis uti se non posse, nisi cum iis poenitentibus, qui praesens ejusdem anni sancti jubilaeum consequi sincere et serio volunt: atque ex hoc animo ipsum lucrandi, et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedunt; neque item posse uti cum iis poenitentibus, qui hujus anni sancti jubilaeum semel jam lucrati fuissent, prout inferius explicabitur n. 52.

25. Advertant insuper, supradictas absolutiones, commutationes, dispensationes non posse a se exerceri extra actum

sacramentalis Confessionis, [1]) neque extra suam cujus Basilicam, vel Ecclesiam, nisi in casibus alias sibi a Majori Poenitentiario permissis vel permittendis; vel in casu administrandi Poenitentiae Sacramentum alicui infirmo, qui quum corporalis aegritudinis causa ad Basilicas ipsis respective designatas accedere personaliter nequeat, eorum aliquem arcessendum duxerit, ut Confessionem sacramentalem pro jubilaei consecutione, ut praefertur, apud ipsum expleat.

1 " Sane, quod attinet ad absolutionem a casibus reservatis, manifestum quidem est, ipsam extra sacramentalem Confessionem dari non posse. De absolutione autem a censuris, dubitatum est inter auctores, num ea extra sacramentalem Confessionem dari posset... Nos vero ad omnem difficultatem tollendam... injunximus, non posse a Poenitentiariis ullas absolutiones, commutationes ac dispensationes dari extra actum sacramentalis Confessionis; idque Nobis et congruum esse et materiae gravitati ac ministerii qualitati conveniens visum est, atque praeterea omnem controversiae ansam eripit et conforme est praxi Ponitentiariae Nostrae Apostolicae, quemadmodum in Thesauro, *de poenis eccl. part. 1. cap. 22.* videre est. „ (Bened. XIV. *Inter praeteritos* III. §. 5. n. 63).

26. Non praetermittant suam cuique poenitenti salutarem poenitentiam imponere in Sacramento, ne praetextu quidem jubilaei per eumdem poenitentem consequendi.

27. Ab occultis censuris ob partem laesam incursis non prius absolvant, quam parti laesae poenitens satisfecerit, vel si prius poenitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum, cum primum poterit. In publicis autem, huic satisfactioni consuletur juxta praxim Poenitentiariae Apostolicae, ad quam dirigendus erit poenitens cum libello, de quo supra n. 5.

28. Violantibus clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant proibitionem accedendi in posterum ad quaevis monasteria, et ecclesias Monialium; monendo poenitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam pro-

hibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras.

29. Religiosos vero suam violantes clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita a censuris propterea incursis absolvant, ut super inhabilitate ulterius per hoc contracta ad dignitates et officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum iisdem dispensent.

30. A lectione librorum prohibitorum, praesertim in Bulla Coenae contentorum, non ante absolvant, quam poenitens libros, quos in sua potestate habet, Inquisitori vel Ordinario secrete tradiderit, vel se, quam primum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat.

31. In absolvendis Regularibus a suo Ordine apostatis vel fugitivis, servent modum in sua tabella praescriptum.

32. Denique. quoad vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praejudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiae, seu alia, emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate, et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant. Nec admodum dissimiliter se gerant circa vota poenalia, seu praeservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius: nisi forte circustantiae adsint, quae aliquam commutationem suadeant, et commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia.

33. Ceterum alias facultates praedictis trium Basilicarum Poenitentiariis minoribus pridem concessas, aut forsitan concedendas per dictum Majorem Poenitentiarium, in vim generalium facultatum, quas Nos eidem per alias Nostras praedictis die et anno expeditas Litteras incipientes: *Pastor bonus* communicavimus et perpetuo competere statuimus, salvas et firmas hoc ipso jubilaei anno esse et fore, atque ab iis, hoc etiam anno durante, non secus ac alio quovis tempore, erga omnes exerceri, juxta ejusdem con-

cessionis tenorem libere et licite posse, decernimus et declaramus.

34. Easdem vero facultates, tam in memoratis, quarum initium est: *Pastor bonus,* quam in praesentibus Nostris Litteris expressas, atque contentas, praedicto Majori Poenitentiario, et Apostolicae Poenitentiariae Officio, earumdem praesentium tenore etiam confirmamus, et respective, quatenus opus sit, pro eodem anno sancto concedimus et impertimur, ad hoc, ut ipse Major Poenitentiarius iis omnibus et singulis, tam per se ipsum, quam per alios quoscunque a se eligendos confessarios in Urbe uti licite valeat. Si quos autem casus ad ipsum Poenitentiariae Officium, vel ad aliquem ex dictis Poenitentiariis, seu confessariis, deferri contingat, qui nec sub praedictarum Litterarum, nec sub praesentium dispositione comprehensi, vel etiam in iisdem prohibiti dignoscantur, onus erit praefati Majoris Poenitentiarii, ad quem Poenitentiarii minores et confessarii praefati recursum habebunt, Apostolatum Nostrum super illis consulere; Nos enim eidem praescribere non omittemus, quaecumque opportuna fore in Domino judicabimus, ut animarum vulneribus sanandis idonea remedia aptentur.

35. Confessariis autem a praedicto Cardinali Vicario Nostro, ut praefertur, in Urbe designandis, infrascriptas facultates, quibus hujusmodi designationis vigore, ipsius anni sancti decursu, fruantur, per easdem praesentes ducimus tribuendas, videlicet:

36. Absolvere possint per se ipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae, personas sibi confitentes, a quibuscumque ecclesiasticis censuris, etiam Summo Pontifici et Sedi Apostolicae, etiam in Bulla Coenae reservatis, et a sacris canonibus fulminatis, dummodo tamen hujusmodi censurae non sint publicae, necnon ab omnibus peccatis, et excessibus, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis; injunctis tamen salutaribus poenitentiis, et aliis de jure iisdem poenitentibus injungendis·

37. Omnia et singula simplicia vota etiam jurata, etiam Sedi Apostolicae reservata, exceptis castitatis, religionis, aliisque superius n. 32 memoratis votis, commutare in alia pia opera valeant.

38. Quibus tamen facultatibus, tam absolvendi, quam vota commutandi, uti non poterunt nisi cum iis poenitentibus, qui praesens anni sancti jubilaeum consequi sincere et serio volunt, atque ex hoc animo ipsum lucrandi, et reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedunt. Neque item uti poterunt cum iis poenitentibus, qui hujus anni sancti jubilaeum semel jam lucrati fuissent, prout inferius explicabitur n. 52.

39. Dispensare possint circa visitationes praescriptas quatuor Basilicarum, easque commutare, eodem omnino modo, ac conceditur Poenitentiariis in duobus postremis numeris, quae pertinent ad facultatem circa dispensationes superius positas. Praeter hanc autem facultatem dispensandi circa dictas visitationes, scient nullam aliam dispensandi cum quoquam facultatem sibi concedi.

40. Postremo praecipimus confessariis praefatis, attente legere et considerare monita superius post facultates Poenitentiariis impertitas adjuncta, eisque in exercitio suarum respective facultatum exacte se conformare.

41. Praeterea Regularium quoque commoditati uberius consulere, simulque augendo numero confessariorum pro jubilaei consecutione prospicere volentes, praemissas nuper facultates, quas confessariis hujusmodi a Cardinali Vicario designandis hoc anno competere statuimus, easdem omnes et singulas pari prorsus modo, pro eodem anno, tribuimus et concedimus omnibus confessariis illis regularibus, cujuscumque Ordinis, Congregationis et Institnti, quicumque alias ejusdem Card. Vicarii seu ipsius Vicesgerentis approbationem ad audiendas confessiones habeant, et insuper per suos respective regulares Praelatos, seu Superiores, ad excipiendas

suorum Religiosorum confessiones deputati fuerint; ad hoc scilicet, ut iidem confessarii facultates hujusmodi erga solos proprii respective Ordinis poenitentes Religiosos hoc jubilaeum lucrari volentes, exercere in suis quique coenobis seu domibus, libere et licite valeant; quibus etiam regularibus confessariis, facultatem dispensandi cum iisdem religiosis poenitentibus in sacris Ordinibus constitutis super irregularitate forsan ob censurarum violationem contracta, dummodo occulta sit, earumdem tenore praesentium, ac dicto anno, dictaque occasione dumtaxat, concedimus et impertimur.

42. Denique communi tam confessariorum, quam poenitentium utilitati ac spirituali solatio provide intendentes, ac memores quaestionum ac dubiorum, quae occasione universalis iubilaei huiusmodi excitari solent, nonnullas hic etiam declarationes, seu magis apertas voluntatis Nostrae significationes super hoc a Nobis indicto praesentis anni sancti Iubilaeo subnectere opportunum duximus; quibus inspectis ac diligenter, ut par est, animadversis, pleraque huiusmodi dubia anteverti posse, aut facile solutum iri non dubitamus. Eae autem sunt, quae sequuntur:

43. Personis Romam ad hoc iubilaeum consequendum venire volentibus, non intelligitur data veniendi libertas, sive licentia, sine obtento alias necessario suorum respective Superiorum consensu.

44. Romanorum appellatione, quoad visitationes quatuor Basilicarum, per triginta dies peragendas, comprehenduntur omnes et singuli nati atque habitantes Romae, sicut etiam nati atque habitantes in suburbano vinearum tractu, intra quintum ab Urbe lapidem. Incolarum autem nomine, ad eumdem effectum, intelliguntur omnes illi, qui certum aliquod officium in Urbe obtinent, seu cum spe illud obtinendi moram ibidem trahunt, ideoque in ipsa quasi-domicilium acquirunt; omnesque illi, qui ad eamdem Urbem, vel ad aliquem suburbanum locum, intra quintum lapidem, ut

supra, se contulerunt alia quacumque de causa, quam praesentis iubilaei lucrandi; vel si ipsius lucrandi causa ad Urbem accesserint, eo tamen animo sunt, ut per maiorem anni partem, seu ultra sex menses ibi commorentur. Reliqui omnes, peregrinorum aut externorum nomine, quoad visitationes earumdem Basilicarum per quindecim dies, se comprehensos intelligant.

45. Confessionem et Communionem pro hoc iubilaeo consequendo iniunctas, non necesse est visitationibus quatuor Basilicarum praemittere. Satis erit vel in huiusmodi visitationum decursu, vel etiam post easdem visitationes expletas, confessionis et Communionis sacramenta suscipere.

46. Cum confessio sacramentalis in hoc iubilaeo sit opus iniunctum, peragenda eadem erit etiam ab eo, qui solis peccatis venialibus teneatur, si hoc lucrari iubilaeum velit.

47. Si quis post confessionem peractam in lethale peccatum (quod Deus avertat) inciderit, antequam omnia omnino opera pro iubilaeo hoc lucrando iniuncta expleverit, confessionem denuo praemittere debebit, priusquam ultimum saltem ex aliis iniunctis operibus expleat, ut indulgentiam hoc iubilaeo concessam consequatur.

48. Quamvis iniuncta pro hoc iubilaeo Communio sit, pueri tamen, qui nondum ad primam Communionem admissi fuissent, neque intra hunc annum sanctum parochi proprii vel confessarii iudicio admittendi videantur, censeri possunt ab isto iniuncto opere legitime impediti; eisdemque Communionem in aliud pium opus arbitrio confessarii praescribendum commutari permittimus.

49. Ad iniunctam Basilicarum visitationem perficiendam non opus est in easdem Basilicas per Portas sanctas, vel per harum aliquam ingredi vel egredi.

50. Si quod superveniat indultum, quo praescriptus initio visitationum numerus ad minorem redigatur; quisquis ante id indultum visitationes peregisset paucioribus numero diebus, quam qui in indulto praescribuntur, is visitationes

a se iam peractas utiliter computare poterit ad conficiendum numerum visitationum huiusmodi indulto praescriptarum, superaddendo nimirum alias, quae desint ad explendam summam indulto praefinitam. Si vero eam summam, seu numerum antea iam explevisset, vel etiam excessisset; unum saltem diem visitationis quatuor Basilicarum praeterea adiunget, ut indulti beneficio frui valeat.

51. Iniunctae piae preces in singularum visitatione Basilicarum, ad fines Nobis propositos, et in Nostra Bulla indictionis expressos effundendae, satis erit. si vocales fuerint. Qui sola mente ad eosdem fines devote orare voluerit, laudandus est, aliquam tamen etiam vocalem orationem adiungat.

52. Qui hoc anno sancto bis aut pluries omnia et singula opera, vel primitus in huius iubilaei indictione praescripta, vel superveniente forsan aliquo indulto, ea, quae in ipsius indulti concessione pro eiusdem iubilaei consecutione praescribentur, plene iteraverit; vel prius ad indictionis, deinde ad indulti formam, vel prius ad formam indulti unius, deinde ad alterius fortasse diversi formam, ut praefertur, iteraverit, bis quoque aut pluries poterit hoc anni sancti iubilaeum lucrari. Nos enim, habita ratione annui spatii, ad quod hoiusmodi iubilaeum protenditur, ita de Apostolicae liberalitatis plenitudine concedimus et indulgemus; hoc tamen declarantes, neminem posse, nisi semel, idest prima tantum vice, frui seu potiri favoribus huic iubilaeo adiunctis: quare post primam vicem nullus gaudere amplius poterit beneficio aut absolutionum a novis censuris et casibus reservatis de novo fortasse contractis, aut commutationum. aut dispensationum in facultatibus superius positis contentarum.

53. Praeter Poenitentiarios, ut supra, deputatos, seu deputandos, peculiaribus pro hoc anno sancto facultatibus a Nobis instructos, inter quas adest etiam facultas absolvendi pro foro conscientiae a censuris propter haeresim

formalem incursis, prout latius expressum est supra n. 7, reliqui omnes noverint, in concessione facultatis absolvendi a censuris in Bulla Coenae reservatis, non comprehendi facultatem absolvendi a censuris propter haeresim formalem externam, etiam occultam, incursis, nisi specialiter et expresse huiusmodi facultas concedatur, iuxta iteratas hac de re declarationes, et nominatim iuxta decretum Universalis Inquisitionis die 15 Maii anni 1656 a felic. recordat. Praedecessore Nostro Alexandro VII approbatum.

54. Absolutiones a censuris (praeterquam datae ad reincidentiam, qualis, exempli gratia, datur in casu superius expresso, ubi de facultatibus pro Poenitentiariis egimus n. 6) commutationes item votorum, et dispensationes, iuxta concessas hoc anno respectivas facultates, semel oblentae, permanent in suo vigore, etiamsi contigerit eum, qui illas iam obtinuerat, mutato postea, quod prius habuerat, sincero et serio proposito iubilaeum hoc lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, de eodem iubilaeo consequendo amplius non laborare.

55. Suspensio facultatum absolvendi, dispensandi etc. pro hoc anno sancto a Nobis indicta per alias Nostras Litteras Apostolicas incipientes: *Cum Nos nuper*, datas 16 Kalendas Iunii proxime praeteriti, non comprehendit ipsam Romanam Urbem, in qua hoc maxime anno praestat operariorum copiam et auxilia pro expediendis poenitentibus non imminui. Quicumque ergo in eadem Alma Urbe huiusmodi facultatibus alioquin legitime muniti reperiantur, easdem per hunc quoque annum in ipsa Urbe, iuxta tenorem uniuscuiusque concessionis alias obtentae, exercere libere poterunt.

56. Extra Urbem vero, servanda omnino erit suspensio facultatum in praefatis Litteris expressa, per quam non modo facultates illas, quae causa vel occasione indulgentiarum concessae fuissent, verum etiam ceteras quaslibet quocumque alio titulo et causa concessas, praedicto anno

durante, suspensas esse et censeri debere, exceptis dumtaxat illis, quas in praefatis Litteris Nostris ab ipsa generali suspensione praeservavimus, praesentium tenore, quatenus opus sit, et pari auctoritate, edicimus et declaramus.

IV. *Ex Bulla* Paterna charitas *d. d. 17 Dec. 1749, qua Monialibus, Oblatis, Tertiariis, Anachoretis, Eremitis, infirmis, captivis etc. providetur.*

Paterna charitas urget Nos, ut omnium Nostrorum Ecclesiaeque filiorum pia vota, non tam oblata Nobis benigne suscipere, quam animo vix concepta praevertere, eisque recluso Apostolicae liberalitatis thesauro occurrere studeamus. Dum itaque frequentes ex omni christiani orbis regione fideles ad Nostram hanc Urbem, et Beatorum Apostolorum Limina, pro indicto a Nobis imminentis anni sancti iubilaeo consequendo, partim iam advenientes intuemur, partim venturos accipimus, ad complures alios utriusque sexus Christifideles mentis Nostrae oculos convertimus, qui non minori devotionis spiritu incensi, vel etiam animarum suarum necessitatibus impulsi, huiusmodi iter avide aggrederentur, nisi eos aut susceptum sanctioris vitae propositum certis locorum spatiis affigeret, aut ineluctabilis captivitas, vel corporalis infirmitas detineret. Horum Nos fidei ac desideriis favere, necnon spiritualibus indigentiis consulere, simulque pias preces supplicationesque eorum omnium, inter quos evangelicae perfectionis sequaces animae, lectissima portio Dominici gregis, connumerantur, Nostris, congregataeque Nobiscum Fraternitatis obsecrationibus, ad exorandam omnipotentis Dei misericordiam, adiungere cupientes, praesentium Litterarum tenore opportunas rationes praescribere decrevimus, per quas tam viri, quam mulieres in eremis, monasteriis et religiosis domibus assidue vitam degentes, seu in custodiis et carceribus detenti, aut morbis et infirmitatibus procul ab Urbe impediti, etiam ad ipsam

Urbem non accedentes, neque sacras Apostolorum memorias, et Patriarchales eiusdem Urbis Basilicas respective visitantes, permissarum absolutionum, concessique a Nobis plenarii iubilaei participes effici valeant.

§. 1. Ut autem nemini dubium oriri possit, quaenam personae sub harum Litterarum providentia comprehendantur, in primis Moniales omnes, quaecumque solemnia Religionis vota emiserunt, et in monasteriis, sub perpetuae legibus, sive locorum Ordinariis, sive Regularibus Superioribus, sive Apostolicae Sedi immediate subiectae, vivunt, eorum quoque novitias, aliasque virgines, seu mulieres saeculares, educationis, aut alia de causa, cum opportunis licentiis in eisdem monasteriis habitantes; item monasteriorum huiusmodi Moniales, quae aliquando ad eleemosynas colligendas ex eorumdem clausura egrediuntur; necnon Oblatas in communitatibus viventes, quarum Institutum ab hac Apostolica Sede approbatum existit, cum earum pariter novitiis, educandis, aliisque cum ipsis conviventibus, licet rigorosae clausurae legibus adstrictae non sint; Tertiarias quoque sub uno eodemque tecto collegialiter viventes, una cum earum novitiis, educandis, aliisque saecularibus personis in earum societate viventibus, quamvis rigorosam clausuram non observent, earumque Institutum, nec umquam ad hunc diem ab Apostolica Sede approbatum, aut confirmatum extiterit, neque pro approbato, praesentis concessionis vigore, in posterum haberi debeat; ac denique puellas atque mulieres in conservatoriis degentes, quamvis nec Monialium, nec Oblatarum, nec Tertiariarum numero habeantur, neque clausurae legibus subiectae sint, tam in Urbe, quam extra eam ubique locorum et gentium existentes, praesentis concessionis favoribus, uti, frui et gaudere posse volumus et declaramus.

§. 2. Item Anachoretas et Eremitas, non quidem eos, qui nullis clausurae legibus adstricti, sive collegialiter et in societate, sive etiam solitarii, sub Ordinariorum etiam regi-

mine, certisque legibus aut regulis obtemperantes, vivunt, sed eos, qui in continua, licet non omnimode perpetua, clausura et solitudine, contemplativae vitae exercitiis dediti, alter ab altero seorsim degunt; etiamsi monastici, aut regularis Ordinis et Instituti professores existant, uti Cistercienses aliquot et Carthusienses Monachi, et Eremitae sancti Romualdi in more habent, sub huius concessionis amplitudine volumus comprehensos.

§. 3. Ad eos etiam utriusque sexus Christifideles, qui in captivitate apud hostes quoquo modo existunt; necnon ad eos, qui ubique locorum, ex civilibus aut criminalibus causis, in carceribus tam Episcoporum, aliorumque ecclesiasticorum Superiorum et tribunalium, quam saecularium Principum et magistratuum, et ad Regulares, qui in carceribus claustralibus detinentur, vel quia nondum eorum causae expeditae sint, vel quia tempus poenae eisdem impositae non adhuc sit elapsum; quive, ex Superiorum quorumcumque praecepto, aliquem locum, aut civitatem, carceris et custodiae seu exilii et deportationis loco habent; ac demum ad eos, qui in triremibus, seu alibi, ad opus damnati, eique addicti reperiuntur, eiusdem praesentis concessionis gratiam misericorditer extendimus. Pro iis tamen, qui carceribus tribunalis sanctae Inquisitionis inclusi ubicumque detinentur, ea, quae paternae providentiae Nostrae opportuna videbuntur, per organum ipsius Inquisitionis Officii praescribere non omittemus.

§. 4. Denique ad infirmos pariter utriusque sexus, tam laicos, quam ecclesiasticos, sive saeculares, sive cuiuslibet Ordinis, Congregationis et Instituti Regulares, qui nempe extra Urbem actu aliqua laborant corporis infirmitate a qua, iuxta medici iudicium, non ita tempestive liberari poterunt, ut intra ipsum iubilaei annum ad Urbem conferre se valeant, vel qui, licet ex huiusmodi infirmitate convaluerint, non tamen sine gravi incommodo et recidivae periculo, Romanum iter conficere possent; quive etiam habi-

tualiter infirma valetudine utuntur, adeo ut iter huiusmodi suscipientes, in actualem facile morbum, aliudve grave corporis incommodum incidere possent; ac demum ad senes septuagenario maiores, quaecumque inferius praesentibus Litteris respective statuentur, spectare et pertinere volumus pariter et declaramus.

§. 5. Hos itaque omnes et singulos monemus, hortamur et obsecramus in Domino, ut peccata sua iu amaritudine animae recolentes, totoque cordis affectu detestantes, salutari Poenitentiae Sacramento, et congruis satisfactionis operibus conscientias suas expiare curent; tum ad vivificum divinae mensae convivium, innocentiae et charitatis stola ornati, reverenter accedant, Deumque Optimum Maximum, per unigenitum Filium eius, ac per merita Beatissimae Virginis Mariae, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, omniumque Sanctorum, iuxta Nostram Ecclesiaeque mentem, enixis precibus orent pro eiusdem sanctae Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, catholicorum Principum concordia, et totius christiani populi tranquillitate et salute: in eumque finem alia, tum volontaria, tum sibi in locum visitationis quatuor Basilicarum Urbis ab ecclesiasticis Superioribus, ut infra, iniungenda religionis, pietatis aut charitatis opera, devote peregant et exsequantur.

§. 6. Nos enim Venerabilibus Fratribus Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, per praesentes committimus et demandamus, ut Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque superius expressis puellis sive mulieribus, tam sibi, quam Nobis et Sedi Apostolicae immediate subiectis, in eorum civitatibus, diocesibus et territoriis existentibus, Anachoretis quoque et Eremitis, carceratis et morbo seniove affectis, eorum iurisdictioni respective subiectis, atque etiam ab illa exemptis, quatenus saeculares personae, aut extra claustra forsan cum debitis licentiis Regulares existant; regularibus autem Praelatis et Superioribus, et subditis sibi

Monialibus, et si quae sint Oblatae, aut Tertiariae ipsorum regimini subiectae, et ab Ordinariorum iurisdictione exemptae, earumque novitiis, aliisque in earumdem monasteriis et communitatibus, ut supra, degentibus extra Urbem, necnon Religiosis Anachoretis, sive Eremitis, aliisque Religiosis in carceribus claustralibus, detentis, sive infirmis, et senibus septuagenario maioribus, congrua religionis, pietatis, aut charitatis opera, aequabili disciplinae et indulgentiae moderatione servata, sive per se ipsos, sive per prudentes confessarios, designare et praescribere non omittant, quae illi, et illae, loco visitationum quatuor Basilicarum, et ecclesiarum intra et extra Urbis muros, a Nobis pro consequendo huius anni sancti iubilaeo praescriptarum, iuxta singulorum statum, conditionem et valetudinem, ac loci et temporis rationes, respective exsequi et implere possint ac debeant, et quorum implementum Nos in earumdem visitationum locum, ad effectum ipsius iubilaei consequendi, auctoritate Apostolica, commutando subrogamus. Pro Monialibus autem, Oblatis et Tertiariis quibuscumque huius Almae Urbis, earumque novitiis, necnon puellis atque mulieribus tam in praedictarum monasteriis et communitatibus, quam in conservatoriis ipsius Urbis degentibus, et pro carceratis in eiusdem Urbis carceribus, volumus, ut ad dilectum Filium Nostrum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Nostrum in ipsa Urbe eiusque districtu Vicarium in spiritualibus Generalem, eiusque Vicesgerentem dumtaxat, huiusmodi operum designationem sive per se ipsos, sive per prudentes confessarios facere, omnino spectet atque pertineat.

§. 7. Itaque de omnipotentis Dei misericordia et praedictorum Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ex concessa Nobis, licet immerentibus, suprema ligandi atque solvendi potestate, omnibus et singulis praefatis Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque puellis, sive mulieribus in monasteriis ac religiosis, piisque com-

munitatibus viventibus, Anachoretis, Eremitis, necnon utriusque sexus captivis et in carcere, sive in custodia detentis, atque infirmis et senibus, vere poenitentibus et intra praesens iubilaei annum rite confessis, ac sacra Communione refectis, Deumque Optimum Maximum, ut supra dictum est, orantibus, aliaque sibi in locum visitationis praedictae iniungenda opera, in locis, in quibus extiterint, devote adimplentibus, atque etiamsi, eorumdem operum executione suscepta, ipsos ante integrum eorum implementum ex hac vita migrare contigerit, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, veniam et remissionem, etiam duabus vicibus intra ipsius anni sancti decursum, si omnia praemissa opera iniuncta iteraverint, per eorum singulos consequendam, non secus ac ipsi et eorum quilibet, praemissa in hac Alma Urbe exsequentes et quatuor Basilicas eiusdem Urbis, pro quibus visitandis iubilaeum ipsum et indulgentia per Nos concessa fuit, eodem iubilaei anno, diebus ad id statutis, personaliter visitantes, consequerentur et consequi possent, tenore praesentium, ac de Apostolicae liberalitatis amplitudine, concedimus et elargimur.

§. 8. Eisdemque Monialibus, earumque novitiis, ut ad effectum praesentium et pro prima vice dumtaxat, confessarios presbyteros saeculares, vel cuiusvis Ordinis Regulares, a locorum respective Ordinariis ad audiendas Monialium confessiones approbatos quoscunque, ceteris autem supradictis Anachoretis, Eremitis, necnon Oblatis, Tertiariis, aliisque puellis et mulieribus in monasteriis et religiosis ac piis communitatibus, seu conservatoriis conviventibus et Christifidelibus captivitate, carceratione, aut custodia, infirmitate, aut senectute impeditis, tam laicis, quam ecclesiasticis saecularibus et cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti, etiam specialiter nominandi, Regularibus, ut ad effectum huiusmodi et pro prima pariter vice dumtaxat, confessarios presbyteros saeculares, sive cuiusvis etiam diversi Ordinis Regulares et ab Ordinariis similiter, in quo-

rum civitatibus, dioecesibus et territoriis confessiones huiusmodi excipiendae erunt, ad personarum saecularium confessiones audiendas approbatos quoscumque, eligere valeant; utque confessarii sic electi, illorum confessionibus diligenter auditis, eos et eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bulla die Coenae Domini legi solita, contentis, absolvere, iniuncta ipsis poenitentia salutari, aliisque iuxta canonicas sanctiones, rectaeque disciplinae regulas iniungendis, ac praesertim, quoad illos in carceribus detentos, quorum criminales causae nondum conclusae sunt, iisdem serio admonitis de obligatione, qua tenentur, iudicibus super eorum delictis legitima auctoritate eos interrogantibus veritatem aperire; quodque hoc animi proposito carentes, absolutionem sacramentalem nullo fructu, quin potius maiori animarum suarum damno, susciperent; si autem cum huiusmodi veritatis fatendae proposito, aliisque debitis dispositionibus, peccata sua rite confiteantur, absolutio, quam a confessario obtinuerit, ipsis in foro interno utilis sane et salutaris existet, nullatenus vero in foro externo ad temporales promeritas poenas evitandas prodesse poterit; utque praeterea confessarii a Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque puellis et mulieribus supradictis ad praemissum effectum electi, iisdem Monialibus, intra monasteria clausurae legibus subiecta solemniter professis, vota quaecumque post professionem emissa et cum earum observantia regulari compatibilia, dispensando commutare; Oblatis vero, Tertiariis et tam istarum, quam praedictorum monasteriorum novitiis, ceterisque puellis, sive mulieribus saecularibus in eisdem monasteriis et Oblatarum, aut Tertiariarum domibus et Communitatibus, necnon in conservatoriis quibuslibet, educationis, convictus, aliaque causa et ratione, cum debitis licentiis commorantibus, omnia et quaecumque vota, exceptis illis, quae Nobis et Apostolicae Sedi reservata sunt, etiam dispensando commutare, easque omnes

et singulas, facta commutatione huiusmodi ab emissorum votorum, etiam iuratorum, observantia absolvere possint et valeant, dicta auctoritate Apostolica et earumdem tenore praesentium, misericorditer in Domino concedimus et indulgemus.

V. *Ex Bulla* Benedictus Deus, *d. d. 25 Decemb. 1750, qua iubilaeum extenditur ad universum orbem catholicum.*

§. 1... Magna a Nobis spes iure ac merito concepta est eumdem clementissimum Dominum, imploratam votis Nostris misericordiam suam Nobis ostensurum, idque demum Ecclesiae suae largiturum fore, quod tam concordibus studiosisque obsecrationibus a se postulari concessit: ut scilicet Ecclesiam ipsam catholicam et regnum Filii sui, per totum terrarum Orbem et sanctitate et amplitudine exaltet; ut cunctis mundum purget erroribus, ut inter christianos principes concordiam et pacem confirmet, universamque Christi sui plebem ab omni mundana adversitate defendens, ad aeternae salutis portum dirigat atque perducat. Quod ut ab eodem Deo Optimo Maximo fidentius petere audeamus, de praedictorum Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, decrevimus, universos Christifideles, qui ubique locorum et gentium unius fidei communione Nobis iunguntur, in huiusmodi votorum societatem adscire, apertoque largius indulgentiarum thesauro, efficaciter invitare; sperantes fore, ut dum ad id assequendum, animarum suarum maculas per poenitentiam eluendo, se comparabunt, ac pio devotionis affectu ferventes, debitaeque erga Sedem Apostolicam observantiae specimen in hoc ipso praeseferentes, iniuncta pietatis et religionis opera exercebunt; et singuli in semetipsis id, quod pro aliis postulabunt, obtineant; et quas pro fratribus preces supplicationesque offerent, eidem bonorum omnium largitori, innocentiae et charitatis suae merito commendent.

§. 2. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ex suprema ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, in quocumque mundi parte existentibus et in Apostolicae Sedis gratia et obedientia manentibus, etiam iis, qui forsan elapso anno Romam venerunt, ibique, seu alibi, quavis ratione, hoc idem iubilaeum a Nobis concessum adepti sunt, vere poenitentibus et confessis et sacra Communione refectis, qui intra sex menses, a die publicationis praesentium in qualibet dioecesi faciendae computandis, ecclesiam ipsius Cathedralem, seu maiorem, aliasque tres eiusdem civitatis, aut loci, sive in illius suburbiis existentes, ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, aliisve de ipsorum mandato, designandas, semel saltem in die, per quindecim continuos, vel interpolatos dies, sive naturales, sive etiam ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei, usque ad integrum ipsius subseqnentis diei vespertinum crepusculum. devote visitaverint, ibique pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, catholicorum Principum concordia et christiani populi salute et tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, ut plenissimam eiusdem anni iubilaei omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam semel consequantur, perinde ac si quatuor Basilicas, seu ecclesias, intra et extra Urbem pro consequendo iubilaeo huiusmodi a Nobis designatas, statutis ad id diebus personaliter visitassent et alia ad hoc requisita adimplevissent, misericorditer in Domino concedimus et impertimur.

§. 3. Navigantes vero et iter agentes, ut, si post elapsos menses huiusmodi, ad sua se domicilia, seu alio ad certam stationem se receperint, suprascriptis peractis et visitata totidem vicibus ecclesia cathedrali, vel maiori, aut parochiali loco eorum domicilii, seu stationis huiusmodi, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant: necnon prae-

dictis locorum Ordinariis, ut cum Monialibus, Oblatis, aliisque puellis, aut mulieribus, sive in monasteriorum clausura, sive in aliis religiosis, aut piis domibus et communitatibus vitam ducentibus, Anachoretis quopue et Eremitis ac aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis personis, saecularibus, vel regularibus, in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, quominus supra expressas visitationes exsequi possint, super praescriptis huiusmodi visitationibus tantummodo; cum pueris autem, qui nondum ad primam Communionem admissi sint, etiam super Communione huiusmodi dispensare, ac illis omnibus et singulis, sive per se ipsos, sive per eorum earumque Regulares Praelatos, aut Superiores, vel per prudentes confessarios, alia pietatis, charitatis, aut religionis opera, in locum visitationum huiusmodi, seu respective in locum sacramentalis Communionis praedictae, ab ipsis adimplenda praescribere, atque etiam Capitulis, Congregationibus tam saecularium, quam regularium, Sodalitatibus, Confraternitatibus, Universitatibus, seu Collegiis quibuscumque, ecclesias huiusmodi processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum, pro suo prudenti arbitrio, reducere possint, ac valeant, eorumdem tenore praesentium, concedimus pariter et indulgemus.

§. 4. Insuper iisdem Monialibus, earumque Novitiis, ut sibi, ad hunc effectum, confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium confessiones ab actuali Ordinario loci, in quo earum monasteria constituta sunt, approbatum; ceteris autem omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus tam Laicis, quam ecclesiasticis, saecularibus et cujusvis Ordinis, congregationis et instituti, etiam specialiter nominandi, [1]) Regularibus licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad eumdem effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam saecularem, quam

[1]) Cfr. nota pag. 499 posita (v. s. pag. 10).

cuiusvis etiam diversi Ordinis et Instituti regularem, ab actualibus pariter Ordinariis, in quorum civitatibus, dioecesibus et territoriis confessiones huiusmodi excipiendae erunt. ad personarum saecularium confessiones audiendas approbatum, qui intra dictum semestris spatium, illas et illos, qui scilicet praesens iubilaeum consequi sincere et serio statuerint, atque ex hoc animo ipsum lucrandi et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi, ad confessionem apud ipsos peragendam accedant, hac vice et in foro conscientiae dumtaxat, ab excommunicationis suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine quavis de causa latis, seu inflictis, etiam Ordinariis locorum ac Nobis et Sedi Apostolicae, etiam in Bulla die Coenae Domini legi solita, seu per alias quascumque Apostolicas Constitutiones quomodocumque reservatis et a sacris canonibus fulminatis; necnon ab omnibus peccatis et excessibus, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis ac Nobis et sedi Apostolicae, ut praefertur, reservatis, iniuncta ipsis poenitentia salutari, aliisque de iure iniungendis, absolvere necnon vota quaecumque, etiam iurata ac Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis et obligatoriis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praeiudicio tertii, semper exceptis; necnon poenalibus, quae praeservativa a peccato nuncupatur, nisi commutatio futura iudicetur eiusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare; et cum poenitentibus huiusmodi in sacris Ordinibus constitutis, etiam Regolaribus, super occulta irregularitate ad exercitium eorumdem Ordinum et ad superiorum assecutionem, ob censurarum violationem dumtaxat contracta, dispensare possint et valeant, eadem auctoritate et Apostolicae benignitatis amplitudine concedimus et indulgemur.

§. 5. Non intendimus autem per praesentes super aliqua irregularitate vel publica vel occulta, seu defectu aut nota,

aliave incapacitate aut inhabilitate quoquomodo contractis, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque etiam ulli confessario facultatem absolvendi complicem in quolibet inhonesto contra sextum praeceptum peccato; aut complici, confessarium huiusmodi ad effectum praesentium eligendi licentiam impertiri; ut iam in aliis Nostris Litteris incipien. *Sacramentum Poenitentiae*, anno Iucarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Iunii, Pontificatus Nostri anno primo editis, generaliter declaratum fuit; neque demum easdem praesentes iis, qui a Nobis et Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato seu iudice ecclesiastico, nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi intra tempus dictorum sex mensium satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerint, concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

§. 6. Ceterum, si quis post inchoatum, huius iubilaei consequendi animo, praescriptorum operum implementum, morte praeventi, praefinitum visitationum numerum complere nequiverint, Nos piae promptaeque illorum voluntati benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes et confessos ac sacra Communione refectos, praedictae indulgentiae et remissionis participes perinde fieri volumus ac si praedictas ecclesias diebus praesceiptis reipsa visitassent. Si qui autem, post obtentas, vigore praesentium, absolutiones a censuris, aut votorum commutationes, seu dispensationes praedictas, serium illud ac sincerum, ad id alias requisitum, propositum eiusdem iubilaei lucrandi ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, mutaverint, licet propter id ipsum a peccati reatu immunes censeri vix possint, nihilominus huiusmodi absolutiones, commutationes et dispensationes ab ipsis cum praedicta dispositione obtentas, in suo vigore persistere decernimus ac declaramus.

VI. *Ex Bulla* Celebrationem *d. d. 1 Ianuarii 1751 de iubilaei extensione.*

§. 10. Eruditioni autem vestrae, Venerabiles Fratres, ignotae non erunt innumerae controversiae, quae inter Morales Theologos agitantur, tum circa confessarium quem quilibet eligere potest iubilaei tempore, ubi huiusmodi electio permittitur in Litteris, quibus iubilaeum ipsum conceditur; tum etiam circa Ordinarium Loci, cuius approbatio necessaria est, ut aliquis in confessarium tunc eligi valeat. Aliqui enim putarunt eligi posse confessarium, etiam qui ab Ordinario poenitentis dumtaxat ad audiendas Confessiones approbatus fuerit. Alii non dubitarunt asserere, Apostolica adesse privilegia quibusdam personis concessa, quorum vigore privilegiati huiusmodi, dummodo semel approbati fuerunt ab aliquo Ordinario Praesule, licet non Ordinario illius loci, in quo Confersiones excipiendae sunt, nihilominus ubique in confessarios eligi possint. Alii subtilius disputantes, dixerunt, derivandam quidem esse approbationem ab Ordinario loci, in quo Confessiones excipiuntur, sed sufficere illam, quam sacerdos aliquando habuerit ab eo Praesule, qui Ordinariam iurisdictionem in huiusmodi loco obtinuerit; licet non amplius idem ei loco praesit, vel quia morte sublatus fuerit, vel quia ad alterius Ecclesiae regimen, auctoritate Apostolica, translatus sit. Huiusmodi ratiocinationum commenta ad varias huius S. R. E. Cardinalium Congregationes non semel delata, saepe etiam reprobata fuerunt: nec omiserunt ipsi Romani Pontifices in suis Apostolicis Constitutionibus, eadem contrariis Decretis configere, ut videre est in Bulla rec. mem. Praedecessoris Nostri Clementis Papae X, quae incipit: *Superna,* et in alia fel. record. Innocentii Papae XIII incipiente *Apostolici ministerii,* necnon in Nostra, cuius initium est *Apostolica indulta,* in Bullario Nostro impressa

tom. I. num. C. Et quidem in dictis Praedecessorum Constitutionibus apposita fuit derogatio contrariis quibuscumque privilegiis, licet post Tridentinum Concilium forsan concessis; in Nostra vero huiusmodi derogatio extensa fuit ad alia quaelibet privilegia, etiam a dictis Praedecessoribus et a Nobis ipsis ibidem non nominatim expressa. Quoniam vero in praemissis nulla mentio facta fuit de universali iubilaeo, de quo tunc minime agebatur, ne forte huiusmodi reprobatae sententiae iterum in medium proferentur, hac occasione, qua forsan contendi posset, eas maxime congruere ampliori Ecclesiae liberalitati, qua, dum toto terrarum Orbe ab ipsius filiis celebratur universale iubilaeum, nonnisi post vigintiquinque annos recurrens, spirituales thesauros aperit et poenitentibus largiter applicari desiderat; ideo in hac recenti Constitutione Nostra, quae incipit *Benedictus Deus*, eiusmodi verba inseruimus, per quae omnes contrariae et reprobatae opiniones, etiam praesentis iubilaei tempore exclusae remanent; quae quidem verba, occasione alterius iubilaei sive universalis, sive particularis adhibita, eumdem effectum similiter sunt habitura.

§. 11. Cum autem Nos in hac novissima Constitutione agendo de confessariis, quos Moniales earumque Novitiae eligere poterunt, facultatem eisdem concesserimus eligendi *confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium confessiones ab actuali Ordinario loci, in quo earum monasteria constituta sunt, approbatum*, quae verba superius etiam in hisce Litteris recitata fuerunt; quaesitum est ab aliquibus an liceat Monialibus hac occasione in confessarium eligere eiusmodi presbyterum, quem Ordinarius, non quidem peculiariter pro earum monasterio, sed pro aliquo alio approbaverit. Super quo Nos animadvertentes, quod si Monialibus necesse esset confessarium pro earum dumtaxat monasterio approbatum eligere, frustraneum fere remaneret privilegium hoc tempore eisdem concessum; facile adducti sumus, ut

declaremus, licere Monialibus earumque Novitiis, in hoc praesenti iubileo, ad effectum eiusdem iubilaei consequendi, confessarium eligere, ab actuali Ordinario loci, etiam pro alio monasterio, vel *pro Monialibus in genere* approbatum, nec umquam ob demerita expresse reprobatum; quum Nos non magis ab opinionibus laxis, quam ab iis, quae nimium et intolerabilem rigorem inducunt; alienos Nos esse profiteamur.

§. 12. Et haec quidem Vobis, Venerabiles Fratres, hac Nostra encyclica Epistola exponere opportunum duximus. Reliqua vero a singulis vestrum, in propria cuiusque civitate ac dioecesi sunt peragenda. Curandum scilicet est ab unoquoque vestrum, assiduisque precibus et hortationibus adnitendum, ut populus regimini vestro commissus, ad peccata sua sincero corde, plenaque voluntate detestanda adducatur, ac per sacramentalem confessionem rite ac pie peractam ad consequendum iubilaei fructum sese disponat. Sane si indictio iubilaei ita fiet per dioeceses, ut nullis antea publicis precibus divinae opis auxilium exoretur, ut neque pastoris voce, neque scripto ad poenitentiam populus excitetur, si, praeviis opportunis institutionibus, christiana plebs non edocebitur, qua ratione fructuosam peccatorum confessionem peragere debeat, nec de confessionis generalis utilitate, atque etiam certis in casibus de illius necessitate, admonebitur, si denique sacerdotes confessarii competentem animarum vulneribus medicinam afferre non satagent; valde veremur, quod sine lacrymis scribere aut cogitare non possumus, ne iubilaei celebratio inani specie animos detineat, at nihil solidi fructus reipsa in populis operetur. Nos equidem, dum pro certo confidimus, complures peccatores in iniquitatibus antea demersos, elapsi anni sancti decursu, per infinitam Dei Nostri misericordiam, e coeno emersisse, plurimosque fideles sacri iubilaei fructum percepisse, hoc simul persuasum habemus, id maxime referendum esse coelesti illi divinae lucis radio, quo permoti fuimus, tum ad

excitandum singulorum Episcoporum zelum, ut in suis quique dioecesibus eos, qui Romanum iter aggressuri erant, praedictis mediis ad iubilaei perceptionem praepararent; tum etiam ad agendum in Urbe ea omnia, quae et anno praecedenti et ipso anno sancto iubilaei egimus et per alios fieri curavimus, ut opportunis instructionibus et admonitionibus ad veram poenitentiam disponerentur omnes, et ad eam peragendam excitarentur [1]).

II.

Summarium indulgentiarum et gratiarum

confratribus Beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo a Summis Pontificibus concessarum.

Indulgentia plenaria sub conditione sacramentaliter confitendi, SS. Eucharistiam sumendi, et preces fundendi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, sanctaeque Matris Ecclesiae exaltatione:

1. Die illa, qua quis recipiendo habitum, Confraternitatem ingreditur. (Paul. V. *Cum certas*, 30 Oct. 1606).

2. In festo principali Commemorationis B. V. Mariae de Monte Carmelo die 16 Iulii, vel Dominica immediate sequenti, aut alia eiusdem mensis iuxta locorum consuetudinem. (Ibid.).

3. In mortis articulo, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis susceptis, ad devotam SS. nominis Iesu invocationem ore, si fieri potest, sin autem corde. (Ibid.).

[1]) **Nota.** — Advertendum est quod post Litteras circulares S. U. I. die 25 Iunii 1885, in quibus dicitur quod " SS. D. N. Leo Papa XIII. hasce Litteras dandas iussit quibus . . . notum fieret . . . . simulque statui et declarari dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras... „ (*Acta* S. *Sedis* XVIII pag. 207) regula quae continetur sub n. 14 (pag. 12) non videtur amplius locum habere.

4. In una Dominica cuiusvis mensis, interessendo processioni per Confraternitatem de Ordinarii loci licentia faciendae. (Idem *Piorum hominum*, 3 Aug. 1609, et *Alias volentes*, 19 Iul. 1614).

5. Iis, qui praedictae processioni commode assistere non valent, si capellam respectivae Confraternitatis devote visitaverint. (Clem. X. *Commissae Nobis*, 8 Maii 1673).

6. Infirmis, captivis et peregrinis, qui huiusmodi capellam dicta Dominica visitare nequiverint, si Officium parvum B. Mariae Virginis, aut quinquagies *Pater* et *Ave* recitavesint, et saltem contriti fuerint cum proposito confitendi, et S. Communionem recipiendi quamprimum potuerint, quod adimplere omnino tenentur. (Clem. X. Bulla nuper citata).

Indulgentiae partiales. 1. *Indulgentia 5 annorum et totidem quadragenarum.* Semel in mense, si poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione oraverint. (Paul. V. *Cum certas* supra cit.).

2. *Item comitando SS. Sacramentum*, dum ad infirmos defertur, cum candela accensa, et pro iisdem pias ad Deum preces fundendo. (Ibid.).

3. *Indulgentia 3 annorum et totidem quadragenarum.* In qualibet ex festivitatibus B. Mariae Virginis, quae celebrantur ab universa Ecclesia, confitendo, et SS. Eucharistiam sumendo in ecclesia vel capella Confraternitatis, et ut supra orando. (Ibid.).

4. *Indulgentia 100 dierum.* Corpora defunctorum tam confratrum et consororum, quam aliorum ad sepulturam associando, ac pro eorum animabus Deum exorando. Officium parvum B. Masiae Virginis devote recitando. Assistendo Missis aliisque divinis Officiis in ecclesia vel capella Confraternitatis. Pauperes hospitio recipiendo, aut eis in eorum necessitatibus vel periculo peccandi existentibus auxilium ferendo. Pacem cum inimicis propriis, vel alienis compo-

nendo. Devium aliquem ad viam salutis reducendo. Ignorantes Dei praecepta et ea, quae sunt ad salutem, edocendo, aut aliud quodcumque pietatis vel charitatis opus exercendo. (Ibid.).

Omnes et singulae indulgentiae praedictae per Paul. V. concessae animabus Purgatorii per modum suffragii possunt applicari. (Clem. X. *Crm sicut accepimus*, 2 Ian. 1672).

Gratiae nuper concessae [1]). 1. Omnes confratres et consorores, si in locis versantur, ubi nulla Carmelitani Ordinis reperiatur ecclesia, omnes indulgentias ab Apostolica Sede eiusdem Ordinis ecclesiis concessas lucrari possunt, si vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, respectivam parochialem ecclesiam statis diebus devote visitaverint, ac reliqua iniuncta pietatis opera rite in Domino praestiterint. (Pii IX. Brev. 15 Ian. 1855).

2. Omnes et singulae Missae, quae in suffragium celebrantur confratrum et consororum, eodem gaudent privilegio, ac si in altari privilegiato celebratae fuissent. (S. C. Indulg. 22 Iun. 1865),

Aliae gratiae. Privilegium vulgo dictum *Sabbatinum*, a Summis Pontificibus Ioan. XXII. Bulla *Sic mihi*, 3 Mart. 1322; Clemente VII. *Ex Clementi*, 12 Aug. 1530; S. Pio V. *Superna dispositione*, 18 Febr. 1566; Greg. XIII. *Ut laudes*, 18 Septemb. 1577, aliisque approbatum et confirmtaum, necnon a S. Romana et Universali Inquisitione sub Paulo V, die 20 Ian. 1613, decreto tenoris sequentis:

" Patribus Carmelitanis permittitur praedicare, quod populus christianus possit pie credere de adiutorio animarum fratrum et confratrum Sodalitatis Beatissimae Virginis de Monte Carmelo, videlicet Beatissimam Virginem animas fra-

[1]) Gratiae olim concessae, praeter promissiones Beati Simoni Stock a S3. Virgine factas, sunt: 1. Indulgentiae personales praedictae; 2. Participatio omnium bonorum spiritualium N. Ordinis ex Bulla Clem. VII. *Ex Clementi*, 12 Augusti 1530; 3. Facultas in articulo mortis recipiendi absolutionem generalem cum plenaria indulgentia etc., ut supra.

trum et confratrum in charitate decedentium, *qui in vita habitum gestaverint et castitatem pro suo statu coluerint, Officiumque parvum recitaverint, vel si recitare nesciant, Ecclesiae ieiunia observaverint, et feria quarta et Sabbato a carnibus abstinuerint (nisi in iis diebus Nativitatis Domini festum inciderit)*, suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis et meritis ac speciali protectione, post eorum transitum, praecipue in die Sabbati, qui dies ab Ecclesia eidem Beatissimae Virgini dicatum est, adiuturam. „

Aliae multae indulgentiae, quae brevitatis causa omittuntur, in Summario indulgentiarum Bullarii Ordinis part. 2. pag. 600 continentur [1]).

Decretum. Hoc Summarium rite recognitum, et authenticis documentis, revisorum iudicio, conforme repertum, imprimi posse, et ubique promulgari permittitur. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 1 Decembris 1866.

Ant. M. Card. Panebianco Praef.
Philippus Can. Cossa Substit.

(*Rescripta authentica* pag. 473).

[1]) *Obligationes confratrum ad supradicta consequenda:* 1. Ut quis sacrum scapulare a sacerdote deputato cum solitis caeremoniis recipiat.

2. Ut illud semper super humeros portet; et si fuerit attritum, aliud sive benedictum, sive non benedictum absque alia nova caeremonia assumendum est.

Obligationes particulares pro consequendo privilegio Bullae Sabbatinae: 1. Ut servetur castitas secundum proprinm statum.

2. Ut scientes legere, quotidie recitent Officium parvum B. Mariae Virginis in Breviario Romano appositum; nescientes vero legere, Ecclesiae ieiunia observent, ac diebus Mercurii et Sabbati abstineant ab esu carnium, excepto die Natalis Domini. Ob iustam tamen causam confessarius; habens specialem facultatem, in aliud pium opus commutare potest.

Nota. — Ex variis summariis Confraternitatum retulimos solummodo hoc ob adnexum privilegium. *Bullae Sabbatinae.*

III.

Summarium indulgentiarum et spiritualium gratiarum

quibus ecclesiae . . . sacrosanctae Vaticanae Basilicae aggregatae Apostolica auctoritate ditantur.

(Ex Benedicti XIV Constit. Ad honorandam *d. d. 6 Kal. April. 1752).*

. . . §. 45. Animo perpendentes, ex praeteritorum temporum monumentis constare, praedictae Vaticanae Basilicae Capitulum et Canonicos, Apostolicis procul dubio indultis munitos, indulgentias ac peccatorum seu poenarum remissiones et relaxationes aliasque spirituales gratias ex Apostolica Romanorum Pontificum liberalitate eidem Basilicae, videlicet eamdem visitantibus, ibique divinam Maiestatem orantibus et venerantibus concessas aliis quoque per orbem ecclesiis quoquo modo sibi unitis aut subiectis communicare et ad eas extendere consuevisse; Nos huiusmodi facultatem, qua etiam dilecti filii tam Capitulum et Canonici S. Ioannis in Laterano, quam Capitulum etiam et Canonici S. Mariae Maioris, Patriarchalium Urbis ecclesiarum ex Apostolicis privilegiis actu vigentibus gaudere dignoscuntur, praedictorum quoque Vaticanae Basilicae Capituli et Canonicorum favore innovare ac etiam ex integro praesentium tenore concedere et elargiri decrevimus. Itaque motu proprio et ex certa scientia eisdem Capitulo et Canonicis quascumque ecclesias, capellas, altaria, oratoria, confraternitates, hospitalia aliaque pia loca tam erecta quam erigenda, et tam in locis ipsius Basilicae ac eorumdem Capituli et Canonicorum, quam etiam in aliis civitatibus et locis quorumcumque Ordinariorum iurisdictioni subiectis existentia, ipsi Vaticanae Basilicae aggregandi et ad spiritualium dumtaxat eiusdem Basilicae privilegiorum societatem et

communicationem admittendi et recipiendi, ita, ut in vim huiusmodi aggregationis et receptionis infrascriptarum indulgentiarum et relaxationum thesauri ad ipsas ecclesias, capellas, altaria aliaque praemissa ex Nostra et Apostolicae Sedis auctoritate ampliati et extensi censeantur, amplam et liberam facultatem sub infrascriptis tamen conditionibus, et non alias, praesentium serie concedimus et impertimur. Volumus nimirum, ut in singulis civitatibus, oppidis vel locis unam dumtaxat ex huiusmodi ecclesiis seu capellis, altaribus, oratoriis, confraternitatibus, hospitalibus aliisque locis piis quomodocumque nuncupatis huiusmodi aggregationis et communicationis munere ditare possint; dummodo ecclesia aut oratorium sic aggregandum, seu illa ecclesia, in qua capella vel altare praedictum exstiterit, etiamsi alias eorumdem Capituli et Canonicorum iurisdictioni subesse dignoscatur, ecclesia conventualis Regularium aut Monialium non sit; nec ecclesia, capella, altare, oratorium, pius locus aut confraternitas huiusmodi ulli alteri ecclesiae aut ulli Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati et Congregationi, a qua indulgentiarum communicationem seu participationem pro omnibus Christifidelibus ecclesiam ipsam seu oratorium visitantibus obtineat, aggregata sit aut subiecta, et dummodo Ordinarii loci expressus ad id consensus accedat, eiusdemque Ordinarii testimonialibus litteris huiusmdi ecclesiae, capellae, altaria, seu oratorii celebritas vel confraternitatis aut loci pii institutum et christianae pietatis et charitatis officia, quae exercere consuevit, apud eosdem Capitulum et Canonicos commendentur. Neque vero per huiusmodi aggregationes et receptiones ullum omnino praeiudicium seu imminutio eorumdem Ordinariorum iurisdictioni irrogari, vel aliqua eisdem ecclesiis aut locis piis aliisque praemissis exemptio, seu dictis Capitulo et Canonicis in easdem ecclesias vel loca pia aliaque praemissa, seu in personas illarum illorumque regimini, administrationi aut servitiis deputatas ullum omnino iurisdictionis et

auctoritatis genus acquiri, seu respective augeri censeatur. Facultatem tamen indulgendi, prout alias in certis casibus ab Apostolica Sede benigne indulgeri consuevit, ut in una eademque civitate aut oppido, duabus ecclesiis seu capellis, vel altaribus, oratoriis, confraternitatibus aut locis piis, ubi speciales id generis circumstantiae suadeant, huiusmodi indulgentiarum communicatio a dictis Capitulo et Canonicis concedi possit, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis et S. Reliquiis praepositae per praesentes perpetuo tribuimus et imperlimur.

§. 46. Nos autem omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui huiusmodi ecclesias, capellas, oratoria seu altaria eidem Vaticanae Basilicae, servatis ut supra servandis, aggregata in Epiphania D. N. Iesu Christi ac Dominicae Pentecostes et Natalis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Dedicationis ipsius Vaticanae Basilicae diebus festis a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, necnon in una ex sextis feriis mensis Martii vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti devote visitaverint, ibique pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum exstirpatione et christianorum principum concordia pias ad Deum preces effuderint, quolibet ex diebus praedictis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et impertimur. Iis vero, qui in Natalitiis Sanctorum Apostolorum Andreae, germani fratris eiusdem beati Petri necnon Simonis et Iudae, quorum corpora in dicta Vaticana Basilica requiescunt, et in utraque Cathedra, necnon in die octava Natalis eiusdem beati Petri ac in festo ipsius Vinculorum, item in Commemoratione S. Pauli Apostoli et in eiusdem Conversione, ac in festo S. Marci Evangelistae, necnon in reliquis sextis feriis mensis Martii, quibus nimirum ad sacra Dominicae Passionis monumenta, quae in dicta Basilica asservantur, pie veneranda totius Urbis devotio concurrit, vere poenitentes et confessi praemissa peregerint, septem annos et

totidem quedragenas: qui autem illas et illa a die festo Ascensionis D. N. Iesu Christi usque ad Kalendas Augusti, quo tempore ipsa Vaticana Basilica in honorem sanctorum Martyrum, quorum corpora magno numero in ea condita sunt, assiduo Christifidelium concursu frequentatur, vere poenitentes et cum proposito saltem confitendi visitaverint, ibique. ut supra, oraverint, singulis diebus, quibus id egerint, quatuor annos et totidem quadragenas, in reliquis autem singulis anni diebus centum dies de iniunctis eis seu alias debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

§. 47. Denique ut ii, qui in diebus Stationum eiusdem Vaticanae Basilicae in Missali Romano descriptis, nimirum Dominica III. Adventus, omnibus Sabbatis Quatuor Temporum, in Epiphania Domini, Dominica Quinquagesimae, Dominica Passionis, feria II. Resurrectionis Domini, in festo S. Marci Evangelistae, feria IV. Rogationum, in festo Ascensionis D. N. Iesu Christi, ac Dominica Pentecostes aliquam ex dictis ecclesiis seu capellis, aliisque superius expressis, cum dicto poenitentiae affectu et confessionis proposito visitaverint, ibique, ut praefertur, oraverint, indulgentias stationales, quas visitantes dictam Vaticanam Basilicam iisdem diebus consequuntur; qui vero duodecim vicibus in quolibet anno, totidem nempe diebus ab Ordinario loci semel tantum designandis septem altaria in qualibet ex dictis aggregatis ecclesiis ab Ordinario similiter designanda, ut praefertur, dispositi ac Deum orantes visitaverint, easdem quoque indulgentias, quae visitantibus septem designata altaria in eadem Basilica existentia concessae sunt, ipsi quoque, perinde ac si Basilicam ipsam, seu respective altaria hujusmodi in ea sita personaliter visitarent, consequi possint et vsleant, similiter concedimus et indulgemus.

§. 48. Volumus autem, ut hujusmodi indulgentiae et gratiae spirituales dictis aggregatis seu aggregandis ecclesiis, capellis, altaribus, oratoriis, hospitalibus, confraterni-

tatibus et locis piis ab iisdem Capitulo et Canonicis nominatim et cum expressa mentione facultatis sibi per praesentes a Nobis impertitae, aliisque servatis, quae in Apostolica Constitutione fel. rec. Praedecessoris Nostri Clementis PP. VIII. die 7 Dec. anni Domini 1604 edita, quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica,* praesertim circa gratuitam literarum expeditionem, iisque etiam, quae in decretis a dicta Congregatione Indulgentiis et sacris Reliquiis praeposita die 6 Martii anni 1608 et die 10 Aprilis anni 1729 editis statuta sunt, et non aliter, communicari possint et valeant.

IV.

Summarium indulgentiarum ecclesiae Lateranensi

et aliis ecclesiis eidem incorporatis concessarum.

(Ex Bened. XIV. Constit. Assiduae sollicitudinis *d. d. pridie Nonas Maji 1751).*

Motu proprio, et certa scientia, infrascriptas leges et ordinationes circa praemissa, praesentium Litterarum tenore et Apostolica auctoritate duximus statuendas.

§. 7. In primis videlicet, omnes et singulas indulgentias et peccatorum seu poenarum remissiones et relaxationes, aliasque gratias spirituales tam pro vivis, quam pro defunctis, dictae Basilicae Lateranensi a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus concessas, quae jamdudum, ipsis Romanis Pontificibus scientibus et consentientibus, publice in eadem Basilica proponi consueverunt, etiamsi de illarum primaeva concessione certa monumenta nunc non appareant, praedictis motu, scientia, tenore et auctoritate approbamus et confirmamus, eidemque Basilicae, perinde ac si per praesentes ex integro ipsi concederentur, sine ulla contradictione competere declaramus atque decernimus.

§. 8. Quo vero ad eas indulgentias et remissiones seu relaxationes hujusmodi, quae a praedictis Capitulo et Canonicis hactenus quibuslibet ecclesiis, altaribus, capellis, oratoriis, Confraternitatibus, aut locis piis ejusdem Basilicae membris eidemque subiectis et incorporatis, ubicumque existentibns, quorumlibet indultorum, privilegiorum aut facultatum vigore, sive generaliter et adinstar, sive specialiter, et nominatim communicatae fuerunt, sive etiam ex directa Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum concessione ad illas et illa extensae dici possent, quaecumque illae sint, Nos eas omnes et singulas, simili motu, auctoritate et tenore, interim suspendimus, et tamdiu effectu carere volumus et decernimus, donec, prolatis authenticis indultorum, privilegiorum et facultatum huiusmodi monumentis, de certa praedictorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum voluntate et concessione, quoad communicationes et extensiones huiusmodi, Nobis vel Successoribus Nostris, seu dictae Congregationi constiterit.

§. 9. Interea tamen, easdem ecclesias, altaria, capellas, oratoria, confraternitates et loca pia dictae Basilicae membra, hactenus erecta, seu eidem subiecta et incorporata, ubicumque existentia, Nos infrascriptarum indulgentiarum et gratiarum spiritualium, quae usque ad statutum suspensionis praedictae terminum valiturae sint, muneribus ditare decrevimus.

§. 10. Omnibus nimirum utriusque sexus Christifidelibus, qui illas et illa in Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, Nativitatis S. Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, S. Joannis Evangelistae et Dedicationis eiusdem Lateranensis Basilicae diebus festis, vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi devote visitaverint, ibique pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum exstirpatione et christianorum principum concordia, pias ad Deum preces effuderint, quolibet ex diebus

praedictis, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et impertimur.

§. 11. Iis vero, qui in reliquis Sanctorum Apostolorum festis, nimirum Andreae, Jacobi, Thomae, Philippi et Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis, et Judae, ac Mathiae, vere poenitentes et confessi praemissa peregerint, septem annos et totidem quadragenas.

§. 12. Qui autem illas et illa a Dominica prima Adventus usque ad festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et a feria IV Cinerum usque ad festum Resurrectionis Dominicae, vere poenitentes et cum proposito saltem confitendi, visitaverint ibique, ut supra, oraverint, singulis diebus, quibus id egerint, quatuor annos et totidem quadragenas, in reliquis autem singulis anni diebus, centum dies de iniunctis, seu alias debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

§. 13. Denique ut ii, qui in diebus Stationum eiusdem ecclesiae Lateranensis in Missali Romano descriptis, videlicet Dominica prima Quadragesimae, Dominica Palmarum, feria V in Coena Domini, sabbato sancto, sabbato in Albis, feria III Rogationum et sabbato in vigilia Pentecostes, aliquam ex dictis ecclesiis aliisque superius expressis, cum dicto poenitentiae affectu et confessionis proposito visitaverint ibique, ut praefertur, oraverint, indulgentias stationales, quas visitantes dictam ecclesiam Lateranensem iisdem diebus consequuntur, ipsi quoque, perinde ac si eamdem ecclesiam personaliter visitarent, consequi possint similiter concedimus et indulgemus.

V.

Constitutio de lege Franciscalium Tertii Ordinis Saecularis.

LEO EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Misericors Dei Filius, qui, suavi iugo et levi onere hominibus imposito, omnium vitae et saluti consuluit, Ecclesiam a se conditam non potestatis solum sed etiam misericordiae suae reliquit heredem, ut parta per ipsum beneficia ad omnes saeculorum aetates eodem semper caritatis tenore propagarentur. Propterea quemadmodum in iis, quae Iesus Christus in omni vita vel gessit vel praecepit, mitis illa sapientia et invictae magnitudo benignitatis eluxit, sic pariter in singulis christianae reipublicae institutis mira quaedam eminet indulgentia et lenitas, ut plane vel in hac ipsa re similitudinem Dei, qui *caritas est* [1]), gerere Ecclesia videatur. Illud est autem munus pietatis huius maternae maxime proprium, accommodare sapienter leges, quoad fieri potest. ad tempora, ad mores, et in praecipiendo exigendoque summa semper aequitate uti. Atque huiusmodi consuetudine caritatis simul et sapientiae efficitur, ut immutabilitatem doctrinae absolutam et sempiternam cum prudenti disciplinae varietate Ecclesia coniungat.

Hac Nos ratione animum et mentem Nostram in gerendo Pontificatu conformantes, officii Nostri ducimus eo, quo aequum est, iudicio aestimare naturam temporum, et omnia circumspicere, ne quem difficultas deterreat ab utilium exercitatione virtutum, Et nunc quidem perpendere

[1]) I Ioan. IV, 16.

ad hanc normam placuit sodalitatem Franciscalium *Ordinis Tertii*, qui *saecularis* dicitur, diligenterque statuere num leges eius modice temperari ob mutata tempora oporteret.

Praeclarum istud Francisci patris institutum vehementer pietati christianorum commendavimus per litteras Encyclicas *Auspicato,* quas die XVII Septembris anno superiore dedimus. Dedimus autem hac voluntate atque hoc unice proposito, ut quanto plures possent ad sanctitatis christianae laudem invitatione Nostra tempestive revocarentur. Origo quippe est maxima et malorum quae premunt, et periculorum quae metuuntur, neglecta christiana virtus: alteris vero mederi, atque altera deprecari non alia homines ratione possunt, quam maturando privatim et publice ad Iesum Christum reditu, *qui salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum* [1]). Iamvero in curandis Iesu Christi praeceptis instituta Franciscalia tota sunt posita: neque enim quicquam spectavit aliud auctor sanctissimus, quam ut in iis, velut in quadam palaestra, diligentius vita christiana exerceretur. Profecto Ordines Franciscales duo priores, magnarum virtutum informati disciplinis, perfectius quiddam diviniusque persequuntur: sed paucorum sunt, nempe eorum quibus Dei munere concessum est ad evangelicorum consiliorum sanctitatem singulari quadam alacritate contendere. Verum Tertius Ordo natus aptus est multitudini: et quantum possit ad mores iustos, integros, religiosos, superiorum temporum monumenta et res ipsa declarat.

Auctori autem et adiutori bonorum consiliorum Deo acceptum referre debemus, quod illis cohortationibus Nostris clausae aures populi christiani non fuerunt. Imo vero plurimis ex locis perfertur excitata erga Franciscum Assisiensem pietas, auctusque passim numerus sodalitatem Tertii Ordinis expetentium. Quapropter velut incitamenta curren-

[1]) Hebr. VII, 25.

tibus praebituri, illuc decrevimus cogitationem intendere, unde impediri aut retardari aliquatenus posse animorum salutaris iste cursus videbatur. Et primum quidem perspeximus, Regulam Tertii Ordinis, quam Nicolaus IV Decessor Noster probavit confirmavitque Constitutione Apostolica *Supra Montem* die XVIII Augusti MCCLXXXIX, non omnino iis, quibus nunc vivitur, temporibus atque moribus respondere. Hinc cum expleri suscepta officia sine molestia et labore nimio non possint, pleraque legum capita condonare sodalium precibus hactenus necesse fuit: quod quidem sine disciplinae communis detrimento fieri non posse, facile intelligitur.

Deinde alia quoque in eadem sodalitate erat caussa, quae Nostras sibi curas vindicaret. Nimirum Romani Pontifices Decessores Nostri Tertium Ordinem iam inde a natali suo summa benevolentia complexi, Indulgentias complures et satis amplas in expiationem admissorum sodalibus concessere. Quarum ratio effecta est annorum decursu perplexior: atque illud in contentionem saepe veniebat, num de pontificali indulgentia certis in caussis constaret, et quo tempore, quove genere eadem uti fas esset. Certe desiderata non est Apostolicae Sedis hac in re providentia: ac nominatim Benedictus XIV P. M. Constitutione *Ad Romanum Pontificem* die XV Martii anno MDCCLI tollendas priores dubitationes curavit: non paucas tamen, ut fere fit, denuo attulit dies.

Quamobrem huiusmodi incommodorum cogitatione adducti, ex sacro Consilio Indulgentiis sacrisque reliquiis tuendis praeposito aliquot S. E. R. Cardinales destinavimus, qui leges Tertiarorum pristinas cum cura recognoscerent; item Indulgentias et privilegia omnia in commentarium relata examinarent: adhibitoque intelligenti iudicio, hac de re ad Nos referrent, quid retinendum quidve novandum pro temporum conditione censuissent. Transacto, uti imperatum erat, negotio, ii, quidem Nobis auctores fuerunt,

leges veteres flecti atque accomodari ad has recentes vivendi consuetudines oportere, cum quorundam capitum immutatione nonnulla. De Indulgentiis vero, ne qui relinquatur haesitandi locus, prohibendique caussa periculi ne quid non iure fiat, arbitrati sunt, Nos ad exemplum Benedicti XIV sapienter utiliterque facturos, si revocatis abrogatisque Indulgentiis omnibus, quae hactenus valuerant, alias quasdam ex integro eidem sodalitio decreverimus.

Ergo quod bonum felixque sit, Dei gloriam amplificet, et pietatis virtutumque ceterarum studia magis accendat, Nos his Litteris aetoritate Nostra apostolica Legem Franciscalium Ordinis Tertii, qui *saecularis* dicitur, eo modo quo infra descripta est, novamus et sancimus. Quo tamen facto nihil demptum de ipsa Ordinis natura putetur: quam omnino volumus immutatam atque integram permanere. Praeterea poenarum remissionibus, seu Indulgentiis, privilegiisque, quae infra in indice recensentur, eosdem sodales uti posse volumus et iubemus, sublatis penitus Indulgentiis privilegiisque universis, quae eidem sodalitio haec Apostolica Sedes quocumque vel tempore, vel nomine, vel forma ante hanc diem concesserat.

LEX

SODALIUM FRANCISCALIUM TERTII ORDINIS QVI *SAECULARIS* DICITUR.

CAP. I.

DE COOPTATIONE, TIROCINIO, PROFESSIONE.

§. I. Ne quos cooptari liceat, nisi maiores quatuordecim annorum, eosque bene moratos, retinentes concordiae, atque in primis sanctitate professionis catholicae probatos, spectatoque erga Ecclesiam Romanam Sedemque Apostolicam obsequio.

§. II. Nuptae, nisi sciente et consentiente viro, ne cooptentur, extra quam si secus videatur faciendum, auctore sacerdote conscientiae ipsarum iudice.

§. III. Adlecti in sodalitatem *scapulare* parvum unaque cingulum de more gerant: ni gesserint, statis privilegiis iuribusque careant.

§. IV. Qui quaeve Tertium Ordinem inierint, unum ipsum annum tirocinio exigant: mox, Ordinem rite professi, servaturos sese iura Dei, obedientes Ecclesiae dicto futuros; si quid in iis, quae professi sunt, deliquerint, satis facturos singuli spondeant.

CAP. II.

DE DISCIPLINA VIVENDI.

§. I. Sodales Tertii Ordinis in omni cultu habituque, sumptuosiore elegantia posthabita, teneant eam, quae singulos deceat, mediocritatis regulam.

§. II. Choreis ludisve scenicis procacioribus, item comissationibus perquam caute abstineant.

§. III. Pastu atque potu utantur frugaliter: neve ante vel accumbant vel assurgant de mensa, quam invocato pie grateque Deo.

§. IV. Ieiunium Mariae Virgini Immaculatae, item Francisco Patri, pridie sacra solemnia, singuli servanto: admodum laudabiles, si qui praeterea vel ieiunium in sextas, vel abstinentiam carnium in quartas quasque ferias servarint, disciplina veteri Tertiariorum.

§. V. Admissa rite expianto per menses singulos: item ad divinum epulum accedant per menses singulos.

§. VI. Tertiarios ex ordine Clericorum, quod Psalmis quotidie dant operam, nihil praeterea hoc nomine debere placet. Laici, qui nec canonicas, neu Mariales preces, vulgo *Officium parvum B. M. V.*, persolvunt, precationem

Dominicam cum Salutatione Angelica et *Gloria Patri* adhibeant duodecies in dies singulos, excepto si per valetudinem non liceat.

§. VII. Quibus est testamenti factio, ii suo quisque tempore de re sua testentur.

§. VIII. In familiari vita studeant ceteros exemplo antecedere: pietatis artes, resque optimas provehere. Libros vel diaria, unde pernicies virtuti metuatur, domum suam inferri, ab iisque, qui in ipsorum potestate sint, legi ne sinant.

§. IX. Caritatem benevolam et inter se et ad alienos sedulo tueantur. Componendas, sicubi possunt, discordias curent.

§. X. Iusiurandum ne iurent unquam, nisi necessario. Turpia dictu, scurriles iocos fando fugiant. Excutiant sese vesperi, num tale quidquam temere fecerint: si fecerint, errorem poenitendo corrigant.

§. XI. Rei divinae, qui commode possunt, quotidie intersint. Ad coetus menstruos, quos Praefectus indixerit, conveniant.

§. XII. Conferant in commune pro facultate quisque sua nonnihil, unde vel tenuiores e sodalium numero, praesertim affecta valetudine, subleventur, vel divini cultus dignitati consulatur.

§. XIII. Ad sodalem aegrotantem Praefecti vel adeant ipsi, vel mittant, qui caritatis officia expleat. Iidem, in morbo ancipiti, moneant suadeant, ut quae ad expiandum animum pertinent, aegrotus tempestive curet.

§. XIV. Ad exequias sodalis demortui sodales municipes hospitesve conveniant, simulque Mariales preces instituto Dominici Patris, id est *Rosarium*, tertiam partem ad caeleste demortui solatium adhibeant. Item sacerdotes inter rem divinam, laici, si poterunt, sumpta Eucharistia, pacem fratri defuncto sempiternam pii volentes adprecentur.

CAP. III.

DE OFFICIIS, DE VISITATIONES, DEQUE IPSA LEGE.

§. I. Officia, advocatis ad conventum sodalibus, deferantur. Eadem triennalia sunto. Oblata ne qui sine caussa iusta recuset, neu oscitanter gerat.

§. II. Curator, qui *Visitator* audit, diligenter quaerat, satisne salvae leges. Eius rei ergo, sodalitiorum sedes in singulos annos, eoque crebrius, si res postulaverit, pro potestate circumeat, coetumque habeat, Praefectis sodalibusque universis adesse iussis. Si quem *Visitator* ad officium monendo iubendo revocarit, sive quid, salutaris poenae nomine, in quemquam decreverit, hic modeste accipiat, idemque luere ne abnuat.

§. III. *Visitatores* ex Primo Franciscalium Ordine, vel ex Ordine Tertio Regulari legantur, quos Custodes seu *Guardiani*, si id rogati fuerint, designabunt. *Visitatoris* munere laicis viris interdictum esto.

§. IV. Sodales nec obedientes et noxii iterum et tertium admoneantur officii sui: ni pareant, excedere Ordine iubeantur.

§. V. In his legibus si qui forte quid deliquerint, hoc se nomine culpam suscepturos nullam sciant, exceptis iis quae iure divino Ecclesiaeve legibus alio qui praecipiuntur.

§. VI. Si quae huius capita legis quemquam servare caussa gravis et iusta prohibeat, eum ex ea parte lege solvi, eademve capita commutari prudenter liceat. Cuius rei Praefectis ordinariis Franciscalium et Primi Ordinis et Tertii, item *Visitatoribus* supra dictis facultas potestasque sit.

INDEX

INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM.

—

CAP. I.

DE INDULGENTIIS PLENARIIS.

Tertiariis ex utroque sexu singulis, qui admissorum confessione ritu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, Indulgentiam plenariam consequendi ius sit, diebus et caussis quae infra scriptae sunt:

I. Die aditiali:

II. Quo die singuli Ordinem primitus profitentur:

III. Quo die ad concionem menstruam seu *Conferentiam* conveniunt, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, remque christianam Deo de more commendaverint.

IV. Die IV Octobris, natali Francisci Patris legiferi: die XII Augusti, natali Clarae Virginis legiferae: die II Augusti, festo Mariae Angelorum reginae ob Basilicam eius dedicatam: item quo die solemnia anniversaria aguntur Sancti caelitis, in cuius templo sedes est sodalitii constituta, si modo ipsum templum pietatis caussa celebraverint, remque christianam Deo de more commendaverint:

V. Semel per menses singulos, quo die cuique placuerit, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, et aliquandiu ad mentem Pontificis maximi obsecrando perstiterint:

VI. Quoties, potioris vitae studio, per octo dies continuos statis animi meditationibus operam daturi secesserint:

VII. Item morituris, si sanctum salutare nomen Iesu aut voce, aut, si loqui posse desierint, voluntate implorave-

rint. Iidem eodem iure fruantur, si nec compotes sacra Confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint.

VIII. Bis in anno *Beuedictionem summi Pontificis nomine* accepturis, si ad mentem ipsius Pontificis Deo aliquandiu supplicaverint: itemque, hac ipsa supplicandi lege, accepturis quam appellant *Absolutionem*, hoc est *Benedictionem*, per hos dies qui infra scripti sunt: I. Natali Domini Nostri Iesu Christi: II. die solemni Paschatis Resurrectionis: III. die solemni Pentecostes: IV. in festo Sanctissimi Cordis Iesu: V. item Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis: VI. Iosephi sponsi eius die XIX Martii: VII. Impressionis SS. Stigmatum Francisci Patris die XVII Septembris: VIII. Ludovici regis Galliarum, Patroni caelestis salutaris sodalium ex Tertio Ordine die XXV Augusti: IX. Elisabeth Hungaricae die XIX Novembris.

IX. Item semei in mense, si qui *Pater*, *Ave* et *Gloria Patri* quinquies pro incolumitate rei christianae, semel ad mentem Pontificis maximi recitaverint, ii iure omni ad expiandas animi labes fruantur, quo fruntur et qui stativa in Urbe supplicia obeunt, et qui Portiunculam, Hierosolymitana loca sanctissima, aedem Iacobi Apostoli Compostellensem, religionis caussa, celebrant.

X. Quibus diebus stativae supplicationes in Missali Romano designantur, si templum sacrariumve, in quo sedes est sodalitii constituta, adierint, remque christianam Deo de more commendaverint, in eodem templo sacrariove per eos ipsos dies amplissimo iure fruantur, quo in Urbe cives hospitesve fruuntur.

CAP. II.

DE INDULGENTIIS PARTIALIBUS.

I. Tertiariis ex utroque sexu singulis, si templum sacrariumve, in quo est sedes sodalitii constituta, celebra-

verint, Deoque pro rei christianae incolumitate supplicaverint quo die sacra Stigmata Francisco Patri divinitus impressa sunt, item festo sanctorum Ludovici regis, Elisabeth reginae Lusitaniae, Elisabeth Hungaricae, Margaritae Cortonensis, itemque aliis duodecim diebus, quos singuli maluerint et Praefectus Ordinis probarit, ea supplicatio septennis septiesque quadragenae satisfactionis instar sit.

II. Quoties Missae aliisve divinis officiis, vel sodalium conventibus publicis privatisve interfuerint: inopes hospitio acceperint: dissidia composuerint, componendave curarint: in pompam rite ductam prodierint: Sacramentum Augustum, cum circumfertur, vel comitati sint, vel, si comitari nequiverint, ad campani aeris signum precationem Dominicam cum Salutatione Angelica semel recitaverint: quinquies precationem et salutationem eamdem recitaverint rei christianae, vel animabus sodalium defunctorum Deo commendandis: hominem mortuum extulerint: devium quemquam ad officium reduxerint: Dei praeceptis ceterisque ad salutem necessariis quempiam erudierint: aut aliud quippiam ex hoc genere caritatis egerint, toties, singulis eorum, harum rerum singularum caussa, tercentos de poenalium dierum numero expungere liceat.

Tertiariis, si malint, omnibus et singulis indulgentiis supra dictis, sive *plenariis* sive *partialibus*, labes poenasque defunctorum expiare liceat.

CAP. III.

DE PRIVILEGIIS.

I. Sacerdotibus ex ordine Tertiariorum ad quodlibet altare facientibus, tribus ex qualibet hebdomade diebus, perlitare fas sit, modo ne similem perlitandi facultatem in alium diem impetraverint.

II. Qui sacrum fecerit animabus sodalium defunctorum

expiandis, is ubicumque veniae defuncto impetrandae perlitato.

Atque haec omnia et singula, ut supra decreta sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volumus: non obstantibus Constitutionibus, Litteris Apostolicis, statutis, consuetudinibus, privilegiis, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, et contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat has Litteras Nostras ullo modo, ullave ex parte violare. Si quis autem adversus eas tale quicquam ausit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo octogesimo tertio, III Kalendas Iunias, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

C. CARD. SACCONI Pro-Datarius — TH. CARD. MERTEL

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus
I. Cugnionius.

VI.

Breve SS. D. N. Leonis Papae XIII

quo praescribuntur formulae benedictionum ac absolutionum generalium servandae ab omnibus Ordinibus Regularibus ac Tertiariis.

Leo PP. XIII. ad futuram rei memoriam.

Quo universi utriusque sexus fideles in tertium Sancti Francisci Assisinatis Ordinem adscripti easdem leges eosdemque ritus in obeundis Instituti sui functionibus adhibere possint, enchiridion seu manuale unicum typis edere visum est. Multiplices vero sub eiusdem manualis editionem exortae sunt de absolutionis tum generalis, tum in articulo

mortis, tum de Papalis benedictionis formulis controversiae, ad quas dirimendas Consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositorum nonnulla proposita sunt dubia seu quaestiones. Hinc Consilium idem consideratis perpensisque omnibus, quid de huiusmodi quaestionibus deliberaverit, per Secretarium suum ad Nos referendum curavit. Nos autem, quibus salutare frugiferumque tertii Ordinis S. Francisci Sodalitium in deliciis semper fuit, Nobisque summopere cordi est, ut illud sanctas sui Instituti leges ritusque observet, atque in dies, hisce praesertim temporibus, propagetur et incrementa suscipiat, memorati Consilii deliberationem probavimus, eamque omnibus per Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus tuendis cognoscendis decretum indicendam censuimus. Nostris mandatis obsequens Congregatio, sibique demandatum munus meliori quo fieri possit modo explere cupiens, opportunum in primis duxit omnes et singulas benedictionis et absolutionis generalis expendere formulas, quae nedum penes Tertiarios Franciscales, verum etiam apud alias eiusdem Ordinis familias, imo et alios Regulares Ordines ac Tertiarios ad ipsos pertinentes essent in usu, quo unam eamdemque ab omnibus in posterum respective in eiusmodi benedictionibus et absolutione adhibendam formulam concinnaret. Quamobrem praefata Congregatio omnes, quorum intersit, monendos putavit, ut siquid in casu notatu dignum iudicassent, intra congruum tempus eidem Congregationi subiicerent. Exacto inde triennio, quum nihil ex parte alicuius ex dictis Ordinibus obiectum sit, Congregatio Sacris Ritibus praeposita, accurate omnibus diligenterque inspectis et expensis, quae sequuntur decrevit, nempe:

I. Pro absolutione in articulo mortis retineatur in omnibus formula praescripta a Constitutione sa. me. Benedicti Papae XIV *Pia Mater*, addito tantum ad *Confiteor* nomine sancti proprii Fundatoris.

II. Benedictio nomine Summi Pontificis impertiatur cum formula approbata in Litteris encyclicis eiusdem sa. me. Benedicti Papae XIV, *Exemplis Praedecessorum*, sed nonnisi bis in anno, et sub conditione, quod haec benedictio numquam detur eodem die et in eodem loco ubi Episcopus eam impertiat.

III. In absolutione generali pro Regularibus cuiuscumque Ordinis atque in benedictione cum indulgentia plenaria pro Tertiariis saecularibus adhibeantur omnino duae insequentes formulae a Reverendissimo Assessore ipsius Sacrae Congregationis propositae atque ab eadem approbatae; abrogatis penitus et suppressis quibuscumque aliis formulis hucusque usitatis, videlicet:

I. *Formula absolutionis generalis pro Regularibus cuiuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus.*

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confi-

tentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Completis precibus, ab uno ex adstantibus dicitur Confiteor, *addito nomine proprii Fundatoris.*

Deinde Sacerdos dicit:

Misereatur vestri etc. Indulgentiam, absolutionem etc.

Postea subiungit:

Dominus noster Iesus Christus per merita suae Sanctissimae Passionis vos absolvat et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius, et beatorum Apostolosum Petri et Pauli et Summorum Pontificum Ordini nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis maioris, vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium, necnon sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum et regulae, constitutionum, ordinationum et admonitionum maiorum nostrorum, ab omnibus poenitentiis oblitis, seu etiam neglectis, concedens vobis remissionem et indulgentiam omnium peccatorum, quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquistis, ac de quibus iam confessi estis. In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

II. *Formula Benedictionis cum indulgentia plenaria pro Tertiariis saecularibus, ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum iisdem, vel cum Regularibus cuiuscumque Ordinis habentibus.*

Antiph. Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine; inclina aurem tuam ad preces nostras; parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti Sanguine tuo pretioso, ne in aeternum irascaris nobis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos,
℟. Deus meus, sperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto,
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris; preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dicto deinde Confiteor etc., Misereatur etc., Indulgentiam etc. *Sacerdos prosequitur*:

Dominus noster Iesus Christus, qui beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atque solvendi, ille vos absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeatis vitam aeternam et vivatis in saecula saeculorum. Amen.

Per sacratissimam Passionem et Mortem Domini nostri Iesu Christi, precibus et meritis Beatissimae semper Virginis Mariae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Beati Patris nostri N. et omnium Sanctorum, auctoritate a Summis Pontificibus mihi commissa, plenariam indulgentiam omnium peccatorum vestrorum vobis impertior. In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Si haec indulgentia immediate post sacramentalem absolutionem impertiatur, reliquis omissis, Sacerdos absolute incipiat a verbis: Dominus noster Iesus Christus etc. *et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato.*

Nos huiusmodi memoratae Congregationis decretum omnino ratum habemus, et Apostolica auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, probamus, confirmamus, sancimus, illudque ab omnibus et in omnibus hoc futurisque temporibus servari iubemus. Decernentes has Litteras Nostras semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari ac definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, necnon eiusdem tertii Ordinis S. Francisci, ceterisve quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel

quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat derogamus, ceterisque omnibus quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 7 Iulii 1882 Pontificatus Nostri anno quinto.

Th. Card. Mertel.

Nota. I. Referimus per extensum sequens S. I. C. Decretum die 21 Iulii 1888 *(Acta S. Sedis* xxi. pag. 60) in quo sermo est de duplici Indulto pro absolutionibus seu benedictionibus.

" Quamvis ab Apostolica Sede iam indultum sit per Decretum huius sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae sub die 16 Ian. 1886, ut Tertiarii *absolutionem* seu *benedictionem* accipere valeant etiam aliquo die festo de praecepto qui intra octidua *profestorum* dierum occurrat, quibus illa fuit adnexa, eoquod his diebus legitime impedirentur quominus adeant Ecclesias accepturi in coetibus generalibus praefatam absolutionem seu benedictionem, vel difficilis ipsis evadit accessus ad tribunal Poenitentiae, praesertim in locis ubi deficit copia Confessariorum; cisdem tamen de causis pluries ab uno vel altero Moderatore Congregationum Tertiariorum Franciscalium in variis catholici orbis partibus existentium Sanctissimo Domino Nostro supplicatum est quatenus indulgere etiam dignaretur, ut Tertiarii perfrui possent gratia absolutionis seu benedictionis in sacramentali Confessione die eas festivitates praecedente, quibus illa est concessa.... Porro Sanctitas Sua, quae has preces iam clementer exceperat, modo universis Sodalibus Tertii Ordinis saecularis sancti Francisci Assisiensis hac super re providere cupiens, ne quis eorum, quoad fieri potest, tam salutari beneficio absolutionis seu benedictionis privetur, in audientia habita die 21 Inlii 1888... declarari ac decerni mandavit... quempiam praedictorum Sodalium absolutionis seu benedictionis participem fieri posse pridie diei quo ipsa in indice indulgentiarum eiusdem Tertii Ordinis elargienda recensetur; non tamen publice, sed privatim tantummodo, nempe post expletam sacramentalem Confessionem. „

VII.

De statutis Indulgentiis ac Privilegiis piae Associationis S. Familiae.

LEO PAPA XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Neminem fugit rei privatae et publicae faustitatem a domestica potissimum institutione pendere. Quo enim altiores domi egerit radices virtus, quo solertius parentum voce et exemplo fuerint puerorum animi ad religionis praecepta informati, eo uberiores in rem communem fructus redundabunt. Quapropter summopere interest ut domestica societas non solum sancte sit constituta, sed sanctis etiam regatur legibus; in eaque religionis spiritus et christianae vitae ratio diligenter constanterque foveatur. Hinc profecto est quod misericors Deus cum humanae reparationis opus, quod diu saecula expectabant, perficere decrevisset, ita eiusdem operis rationem ordinemque disposuit, ut prima ipsa eiusdem initia augustam mundo exhiberent speciem Familiae divinitus consitutae, in qua omnes homines absolutissimum domesticae societatis, omnisque virtutis ac sanctitatis intuerentur exemplar. Talis quidem Familia extitit

II. Quoad benedictionem cum indulgentia plenaria, quae impertiatur immediate post sacramentalem absolutionem legitur in *Caeremoniale tertii Ordinis sancti Francisci a sacra Rituum Congregatione novissime approbatum* (ex Decreto S. R. C. die 18 Iunii 1883) Romae ex typographia Poliglotta sacrae Congregationis de Propaganda Fide 1883. " Si adiuncta vetent integram adhibere formulam, Sacerdos, reliquis omissis, dicere poterit: Auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam tibi impertior. In nomine Patris et Filii ✠ et Spiritus Sancti. Amen. „

Nazarethana illa, in qua, antequam gentibus universis pleno lumine emicuisset, Sol iustitiae erat absconditus: nimirum Christus Deus Servator Noster cum Virgine Matre et Ioseph viro sanctissimo, qui erga Iesum paterno fungebatur munere. Minime dubium est quin ex iis laudibus, quae in societate et consuetudine domestica ex mutuis caritatis officiis, ex sanctitate morum, ex pietatis exercitatione proficiscuntur, maxima quaeque enituerit in sacra illa Familia, quae siquidem earum futura erat ceteris documento. Ac propterea benigno providentiae consilio sic illa constitit; ut singuli christiani qualicumque conditione vel loco, si ad eam animum advertant, facile possint cuiuscumque virtutis exercendae habere caussam et invitamentum. Habent revera patresfamilias in Ioseph vigilantiae providentiaeque paternae praeclarissimam normam; habent matres in sanctissima Virgine Deipara amoris, verecundiae, submissionis animi perfectaeque fidei insigne specimen: filii vero familias in Iesu, qui *erat subditus illis*, habent divinum obedientiae exemplar quod admirentur, colant, imitentur. Qui nobiles nati sunt, discent a Familia regii sanguinis quomodo et in edita fortuna se temperent, et in afflicta retineant dignitatem: qui dites, noscent ab ea quantum sint virtutibus posthabenda divitiae. Operarii autem et ii omnes, qui, nostris praesertim temporibus, familiarum rerum angustiis ac tenuiore conditione tam acriter irritantur, si ad santissimos illius domesticae societatis consortes respectent, non deerit eis caussa cur loco, qui sibi obtigit, delectentur potius quam doleant. Communes enim cum sacra Familia sunt illis labores; communes curae de vita quotidiana: debuit et Ioseph de mercede sua vitae rationibus consulere; imo ipsae divinae manus se fabrilibus exercuerunt. Nec mirum sane est si sapientissimi homines divitiis affluentes, eas abiicere voluerint, sociamque cum Iesu, Maria et Ioseph sibi eligere paupertatem. Quibus e rebus iure meritoque apud catholicos sacrae Familiae cultus

mature invectus, maius in dies singulos incrementum capit. Id quidem probant tum christianorum sodalitates sub invocatione Sacrae Familiae institutae, tum singulares honores ei redditi, tum potissimum a decessoribus Nostris ad excitandum erga eam pietatis studium impertita privilegia et gratiae. Huiusmodi cultus māgno in honore habitus est iam inde a saeculo decimo septimo, lateque per Italiam, Galliam et Belgium propagatus, totam fere Europam, pervasit: deinde praetergressus vastos Oceani tractus, in America per Canadensem regionem, cura praesertim atque opera Venerabilis Servi Dei Francisci de Montmorency-Laval primi Quebecensis Episcopi, et Venerabilis Servae Dei Margaritae Bourgeois, sese extendit, faustisque effloruit auspiciis. Postremis hisce temporibus dilectus filius Franciscus Philippus Francoz Societatis Iesu piam Consociationem a Sacra Familia Lugduni fundavit, quae fructus laetos atque uberes, Deo iuvante, de se pollicetur. Consociationi tam auspicato conditae illud est salutare propositum: nimirum familias christianas arctiori pietatis nexu Sacrae Familiae devincire, vel potius omnino devovere, eo etiam consilio, uti scilicet Iesus, Maria et Ioseph familias sibi deditas tamquam rem propriam tueantur et foveant. Qui sociorum in numerum sunt adsciti, debent ex instituto cum iis qui domi commorantur, in unum convenire, coram imagine Sacrae Familiae decreta pietatis officia praestare: providere, ea opitulante, ut inter se colligatis fide mentibus, caritate voluntatibus in amore Dei atque hominum, vitam ad propositum exigant exemplar.

Piam hanc consociationem Bononiae ad instar Lugdunensis institutam decessor Noster felicis recordationis Pius Pp. IX. similibus litteris approbavit, deinceps Epistola die v. Ianuarii MDCCCLXX. ad pium auctorem data, singularis laudis praeconio est prosequutus. Ad Nos quod attinet, cum summopere curemus, et diligamus quaecumque ad animarum salutem iuvandam maxime valent, noluimus deside-

rari laudem et commendationem Nostram; datisque ad dilectum Filium Nostrum Augustinum, S. R. E. Cardinalem Bausa, ex dispensatione Apostolica Archiepiscopum Florentinum, litteris eam Consociationem utilem ac salutarem, nostrisque temporibus valde accommodatam esse significavimus. Quas vero Nostra sacrorum Rituum Congregatio, suffragante dilecto Filio Nostro Caietano S. R. E. Presbytero Cardinali Aloisi-Masella eidem Congregationi Praefecto, consecrationis christianarum familiarum formulam, et precationem coram imagine Sacrae Familiae recitandam Nobis proposuerat, probavimus, et utramque ad locorum Ordinarios transmittendam curavimus. Deinde veriti ne germanus memoratae devotionis spiritus tractu temporis oblanguesceret, eidem Nostrae Sacrorum Rituum Congregationi mandavimus, ut Statuta concinnaret. quibus in universo catholico orbe piae consociationes sacrae Familiae instituendae adeo inter se coniunctae forent, ut unus omnibus praeficeretur praeses, qui eas auctoritate summa regeret et moderaretur. Statuta post accuratum examen ab eadem S. Congregatione exarata, sunt eadem quae subscribuntur.

STATUTO DELLA PIA ASSOCIAZIONE UNIVERSALE
DELLE FAMIGLIE CONSECRATE
ALLA SACRA FAMIGLIA DI NAZARET.

1. Scopo della pia Associazione si è che le famiglie cristiane si consacrino alla Sacra Famiglia di Nazaret e la propongano alla propria venerazione ed esempio. onorandola davanti la sua immagine con preghiera quotidiana, e modellando la vita sulle sublimi virtù, delle quali essa diede l' esempio ad ogni classe sociale, e particolarmente all' operaia.

2. La Pia Associazione ha il suo centro in Roma presso l' Emo Cardinale Vicario *pro tempore* di Sua Santità, che ne è il Protettore. Egli coadiuvato da Monsignor Segretario della Sacra Congregazione dei Riti e da due altri

Prelati a sua scelta, ed oltre a questi da un Ecclesiastico coll'officio di *Segretario*, dirige l'Associazione medesima in tutte le parti del mondo, procurando che essa conservi lo spirito e il carattere della propria istituzione, e sempre più si propaghi.

3. In ogni Diocesi o Vicariato Apostolico, l'Ordinario per meglio promuovere la Pia Associazione tra i suoi fedeli, si varrà dell'opera di un ecclesiastico a sua scelta, col titolo di *Direttore Diocesano*.

4. I Diretteri Diocesani terranno corrispondenza coi Parrochi, a' quali soli è affidata l'ascrizione delle famiglie della rispettiva loro Parrocchia. Nel maggio poi di ciascun anno i Parrochi comunicheranno ai Direttori Diocesani, e questi, sotto la dipendenza dell'Ordinario, alla Sede centrale di Roma il numero delle nuove famiglie ascritte alla Pia Associazione.

5. La consacrazione delle famiglie si farà secondo la formola approvata e prescritta dal Sommo Pontefice Leone XIII. Essa può farsi in particolare da ciascuna famiglia, ovvero da più famiglie riunite nella Chiesa Parrocchiale presso il proprio Parroco, o suo delegato.

6. L'immagine della Sacra Famiglia di Nazaret dovrà trovarsi in ciascuna delle famiglie ascritte, ed i membri di esse almeno una volta al giorno, e possibilmente la sera, pregheranno in comune innanzi la medesima. Si raccomanda a tal uopo in modo particolare la formola di preghiera approvata dal Regnante Sommo Pontefice, ed altresì l'uso frequente delle tre note giaculatorie:

Gesù, Giuseppe e Maria, vi dono il cuore e l'anima mia.

Gesù, Giuseppe e Maria, assistetemi nell'ultima agonia.

Gesù, Giuseppe e Maria, spiri in pace con Voi l'anima mia *).

*) *Indulgenza* toties quoties *di 300 giorni per le tre unite, e di 100 giorni per ciascuna.*

Pio Papa VII, 28 Aprile 1807.

7. L' immagine della Sacra Famiglia può essere o quella menzionata nella Lettera della sa. me. di Pio IX. del 5 Gennaio 1870, o qualunque altra in cui sia rappresentato il Nostro Signore Gesù Cristo nella sua vita nascosta che menò con la Bma Vergine Sua Madre e col castissimo Sposo di Lei, San Giuseppe. Rimane però sempre nell'Ordinario, a norma del Tridentino, il diritto di escludere quelle immagini che non fossero secondo il concetto proprio di questa Associazione.

8. Le famiglie ascritte all'Associazione godono delle Indulgenze e dei vantaggi spirituali concessi dai Sommi Pontefici, come viene indicato nella pagella di aggregazione.

9. Il Cardinale Protettore col suo Consiglio formerà e pubblicherà, un Regolamento, nel quale si troveranno particolari disposizioni intorno a ciò che può tornare più utile alla Pia Associazione, e specialmente s'indicheranno le sue Feste proprie, il giorno della Festa Titolare, la rinnovazione annua dell'atto di consacrazione da farsi collettivamente, le adunanze da tenersi, ecc.

Quae quidem Statuta, cum de iis supradictus Cardinalis Praefectus ad Nos retulisset, comprobavimus et Apostolica Auctoritate Nostra rata habuimus et confirmavimus, derogatis abrogatisque quae super hanc rem scita actaque sunt, nominatim Apostolicis Litteris die III. Octobris anno MDCCCLXV. datis, et omnibus actis, quae ad primariam Lugdunensem Consociationem spectant. Volumus autem, iubemus, ut Consociationes omnes Sacrae Familiae cuiuscumque tituli, quae nunc existunt, in hanc unicam et universam coalescant. Excipimus tamen religiosas Congregationes huius tituli, quae constitutionibus utantur ab hac S. Sede adprobatis, et Confraternitates proprie dictas, dummodo canonice sint erectae, et ad regulas et normas dirigantur a Romanis Pontificibus praescriptas, nominatim a Clemente VIII. in Constitutione *Quaecumque*. die VII. Decembris anno MDCIV. Hae vero Confraternitates ac religiosae Congregationes,

quae fortasse adscribendis familiis operam hactenus dederunt, in posterum ab huiusmodi cura, quae solummodo Parochis commissa est, prorsus abstineant. Haud tamen necesse est ut familiae iam alicui Consociationi adscriptae, pro indulgentiis aliisque muneribus spiritualibus obtinendis iterum adscribantur, dummodo servent ea quae in novis hisce Statutis praescripta sunt. Consociationis universae Praesidem eligimus, renuntiamus Nostrum in hac alma Urbe Vicarium in spiritualibus generalem pro tempore, atque in perpetuum Patronum damus cum omnibus iuribus et facultatibus, quae nimirum potestatem gerenti iudicentur necessariae.

Illi autem Concilium adesse volumus Urbanorum Antistitum, in quibus Secretarius pro tempore Nostrae Sacrorum Rituum Congregationis. Quod superest, Nobis spes bona est omnes, quibus est animarum credita salus, maxime Episcopos, studii huius Nostri in hac pia Consociatione provehenda socios ac participes sese facturos. Qui enim cognoscunt et Nobiscum deplorant christianorum morum demutationem et corruptelam, restinctum in familiis religionis et pietatis amorem, et accensas supra modum rerum terrestrium cupiditates, ipsi siquidem vel maxime optabunt tot tantisque malis opportuna afferri remedia.

Et siquidem nihil magis salutare aut efficax familiis christianis cogitari potest exemplo Sacrae Familiae, quae perfectionem absolutionemque complectitur omnium virtutum domesticarum. Quapropter curent ut familiae quamplurimae, praesertim operariorum, in quas insidiarum vis maior intenditur, piae huic Consociationi dent nomen. Cavendum tamen est ne a proposito suo Consociatio deflectat, neve spiritus immutetur; sed quae et quomodo decretae sunt pietatis exercitationes et precationes integrae serventur. Sic implorati inter domesticos parietes adsint propitii Iesu, Maria et Ioseph, caritatem alant, mores regant, ad virtutem provocent imitatione sui, et quae undique in-

stant mortales aerumnae, eas leniendo faciant tolerabiliores. Decernentes haec omnia et singula uti supra edicta sunt, firma rataque in perpetuum permanere, non obstantibus constitutionibus, litteris Apostolicis, privilegiis, indultis, Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV. Iunii MDCCCXCII. Pontificatus Nostri anno XV.

S. Card. VANNUTELLI.

LEO PAPA XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quum nuper Nobis obtigisset, ut nova Statuta Consociationis Sacrae Familiae Apostolicis litteris probaremus et sanciremus, satis muneri atque Officio Nostro facturos esse duximus, si eandem Consociationem amplissimis verbis collaudaremus, eamque christianis Familiis summopere commendaremus. Laudavimus autem, et commendavimus ea voluntate eoque proposito, ut nimirum populus christianus, cuius aeterna salus est Nobis commissa, ad christianarum virtutum laudem exemplo sacrae Familiae et invitatione Nostra tempestive revocarentur. Christiana quippe virtus tam est efficax, tantumque pollet, ut in ea magnam partem posita sit vel sanatio malorum, quae premunt, vel depulsio periculorum, quae metuuntur. Ad virtutem vero mirifice excitantur homines exemplo: quod quidem eo magis imitatione dignum iudicatur, quo integrior et sanctior est persona, unde petitur. Quare haud mirum est si Nos, qui nihil magis cupimus atque optamus, quam posse, excitata ubique virtute christiana, praesentibus malis mederi, et proxima pericula deprecari, Consociationem Sacrae Familiae singulari benevolentia et studio prosequimur, utpote quae sanctitatem divinae illius Familiae sibi proponit exem-

plar. Omnes enim ii, qui in huiusmodi Consociationem adsciti sunt, praeclarissimas Iesu, Mariae, et Ioseph virtutes contemplantes, necesse est ut similitudinem earum aliquam adripiant, fierique studeant imitatione meliores. Quare vigeat floreatque haec pia Consociatio quum sodalium numero, tum recte factorum laude; augeatur et ad plures in dies singulos propagetur: ea enim florente, facile fides, pietas, et omnis christiana laus in Familiis revirescent. Quum vero soleant homines permoveri maxime praemio; Nos, quod in facultate Nostra est, praemium spiritualium bonorum, non quidem fragile et caducum, illis, quasi invitamentum, proponimus. Ceterum maiora expectent ab iis, quibus se devoverunt, nimirum a Iesu, Maria, et Ioseph, qui sint servis suis praesentes propitii in omni vitae cursu, et postmodum efficiant, ut sua sanctissima ac suavissima nomina illorum morientium labris insideant. Quare quod bonum sanctumque sit, Deique gloriae, et animarum saluti benevertat, Nos auctoritate Nostra Apostolica, his litteris, poenarum remissionibus seu indulgentiis, privilegiisque, quae infra in apposito indice recensentur, omnes et singulos sodales Consociationis sacrae Familiae tam praesentes quam futuros uti posse volumus et iubemus.

INDEX INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM PIAE CONSOCIATIONI S. FAMILIAE TRIBUENDORUM.

Indulgentiae Plenariae.

Sodalibus Consociationis Sacrae Familiae ex utroque sexu singulis, qui admissorum confessione ritu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, et Parochialem aedem, vel oratorium publicum, devote visitaverint, ibique aliquandiu ad mentem Nostram orando perstiterint, indulgentiam plenariam consequendi ius esto diebus, qui infra scripti sunt.

I. Die quo Consociationem adierint, emissa Consecrationis formula a Nobis per Nostram Rituum Congationem probatam, et in fine huius indicis relata.

II. Quo die in anno generalis conventus habebitur, iuxta cuiusque loci, in quo extat Consociatio, cosuetudinem, ad sodalium pactum renovandum.

III. Diebus festivitatum.

1. Nativitatis
2. Circumcisionis
3. Epiphaniae
4. Resurrectionis
5. Ascensionis

} D. N. I. C.

6. Immaculatae Conceptionis
7. Nativitatis
8. Annuntiationis
9. Purificationis
10. Assumptionis.

} B. M. V.

item diebus festis

11. S. Ioseph Sponsi B. M. V. die undevigesima mensis Martii.
12. Patrocinii eiusdem, Dominica tertia post Pascha.
13. Desponsationis B. M. V. die vigesima tertia mensis Ianuarii.

IV. Die festo titulari universae Consociationis.

V. Die per menses singulos sodalium arbitrio eligendo, dummodo mense ipso in Familiis praescriptas preces coram Sacrae Familiae imagine una simul recitaverint.

VI. Morituris si, non compotes sacra confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint, et sanctum nomen Iesu aut voce, aut si loqui posse desierint, voluntate imploraverint.

Partiales.

I. Sodales Consociationis Sacrae Familiae ex utroque sexu singuli, qui corde saltem contriti Parochialem Eccle-

siam, in qua est sedes Consociationis constituta, vel aliquod templum sacrariumve celebraverint, Deoque pro rei christianae iucolumitate supplicaverint, lucrari possint et valeant partiales indulgentias septem annorum totidemque quadragenarum.

1. Die Visitationi
2. Die Praesentationis } B. M. V.
3. Die Patrocinii.
4. Quolibet die iidem sodales una simul in propriis Familiis adscriptis congregati, ante imaginem sacrae Familiae statas preces corde contrito recitaverint.
5. Diebus, quibus sodales interfuerint conventibus, quos haberi contigerit.

II. Iidem sodales indulgentias lucrentur trecentorum dierum quoties corde contrito sequentem Orationem ante imaginem S. Familiae quocumque idiomate recitaverint.

ORATIO

QUOTIDIE RECITANDA ANTE IMAGINEM SACRAE FAMILIAE.

" O amantissime Iesu, qui ineffabilibus tuis virtutibus " et vitae domesticae exemplis Familiam a te electam in " terris consecrasti, clementer aspice nostram hanc domum, " quae ad tuos pedes provoluta propitium te sibi deprecatur. " Memento tuam esse hanc domum; quoniam tibi se peculiari cultu sacravit ac devovit. Ipsam benignus tuere, a " periculis eripe, ipsi in necessitatibus occurre, et virtutem " largire, qua in imitatione Familiae tuae sanctae iugiter " perseveret; ut mortalis suae vitae tempore in Tui obsequio et amore fideliter inhaerens, valeat tandem aeternas tibi laudes persolvere in caelis.

" O Maria, Mater dulcissima, tuum praesidium implo- " ramus, certi divinum tuum Unigenitum precibus tuis ob- " secuturum.

" Tuque etiam, gloriosissime Patriarcha sancte Ioseph,

" potenti tuo patrocinio nobis succurre, et Mariae manibus " vota nostra Iesu Christo porrigenda submitte. „

Si vero sodales, qui vel infirmitate, vel alia caussa impediti hanc Orationem recitare nequiverint, eandem indulgentiam lucrari poterunt, si devote quinquies recitaverint Orationem dominicam, et salutationem Angelicam cum *Gloria Patri*.

III. Ducentorum dierum indulgentiam sodales Consociationis consequantur semel in die, si iaculatorias preces quocumque idiomate effuderint ut infra:

" Gesù, Maria, Giuseppe illuminateci, soccorreteci, salvateci. Così sia. „

IV. Centum dierum indulgentiam lucrifaciant sodales, qui operam dederint, ut christianae Familiae huic piae et universali Consociationi sese adscribant.

V. Indulgentiam sexaginta dierum lucrentur sodales, quoties hi: 1.° in Ecclesia Parochiali, in qua sedem habet Consociatio sacrosancto Missae sacrificio, aliisque divinis officiis devote adstiterint: 2.° vel quinquies recitaverint Orationem dominicam et salutationem Angelicam pro sodalibus defunctis: 3.° vel familiarum dissidia composuerint, vel componenda curaverint: 4.° vel Familias a iustitiae tramite devias, in viam salutis reducere studuerint: 5.° vel pueros sive puellas christianis praeceptis imbuere sategerint: 6.° vel aliud quodcumque pium opus peregerint, quod in bonum consociationis cedat.

Sodalibus, si maluerint, omnibus et singulis indulgentiis supra dictis sive plenariis, sive partialibus labes poenasque defunctorum expiare liceat.

PRIVILEGIA

Pro Sodalibus universis.

Missae, quae pro sodalibus defunctis quocumque in altari celebrabuntur, iisdem suffragentur ac si in altari privilegiato celebrarentur.

Pro Parochis.

I. Privilegium altaris personalis tribus in qualibet hebdomada diebus; dummodo simili privilegio alia de caussa non perfruantur.

II. Facultas benedicendi extra Urbem Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas statuas ac numismata. eisque applicandi omnes et singulas indulgentias, quas Summi Pontifices adtribuere iisdem solent, ut describitur in apposito elencho; sed tantummodo exercenda pro sodalibus in Consociationem adscitis, die quo 1.° christiani piam ingrediuntur Consociationem: et 2.° sollemniter renovetur pactum Consociationis.

FORMULA

RECITANDA QUOCUMQUE IDIOMATE
A CHRISTIANIS FAMILIIS
QUAE SE SACRAE FAMILIAE CONSECRANT.

" O Iesu Redemptor noster amabilissime, qui e caelo " missus ut mundum doctrina et exemplo illustrares, maio- " rem mortalis tuae vitae partem in humilis domo Naza- " rena traducere voluisti, Mariae et Iosepho subditus, il- " lamque Familiam consecrasti, quae cunctis christianis fa- " miliis futura erat exemplo; nostram hanc domum, quae " Tibi se totam nunc devovet, benignus suscipe. Tu illam " protege et custodi, et sanctum tui timorem in ea con- " firma, una cum pace et concordia christianae caritatis: " ut divino exemplari Familiae tuae similis fiat, omnesque " ad unum quibus ea constat, beatitatis sempiternae sint " compotes.

" O amatissima Iesu Christi Mater et mater nostra Ma- " ria, tua pietate et clementia fac ut consecrationem hanc " nostram Iesus acceptam habeat, et sua nobis beneficia et " benedictiones largiatur.

" O Ioseph, sanctisime Iesu et Mariae custos, in uni-
" versis animae et corporis necessitatibus nobis tuis pre-
" cibus succurre; ut tecum una et beata Virgine Maria
" aeternas divino Redemptori Iesu Christo laudes et gra-
" tias rependere possimus. „

Atque haec omnia et singula, uti supra decreta sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volumus: non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx. Iunii MDCCCXCII. Pontificatus Nostri Anno XV.

S. Card. Vannutelli.

Nota. Per sequentes Litteras circulares, S. R. C. communicavit Rmis Ordinariis orbis catholici relatas Litteras SS. D. N. Leonis XIII atque una simul Decretum, quod hic subiicimus.

Quo ubique terrarum cultus ac devotio erga sacram Familiam magis magisque foveatur, atque a propria indole ac natura numquam deflectat, SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII, universalem Consociationem appositis statutis per sacram Rituum Congregationem nuper exaratis constituendam voluit, quam indulgentiarum quoque thesauro locupletare dignatus est. Haec omnia in Apostolicis Litteris in forma Brevis continentur, quae de mandato Sanctitatis Suae per praesentem epistolam ad ..... trasmittuntur; quibus additur decretum ipsius Sacrae Congregationis, ab eadem Sanctitate Sua adprobatum, quo nonnulla hac super re declarantur.

Erit itaque ..... tam salutarem institutionem apud commissos Tibi Fideles omni studio excitare ac promovere; ita ut unaquaque Parochiali istius Dioeceseos Ecclesia sub respectivi Parochi regimine, ad tramitem supradicti Apostolici Brevis, christianarum familiarum consociatio habeatur.

Hoc autem animadvertat ..... quod si aliae in ista Dioecesi erectae reperiantur Societates eiusdem nominis et instituti, illae ampiius existere nequeunt; sed cum hac univesali ita coniungi debent, ut unum evadant corpus cum ipsa. Praeterea quaecumque preces seu orationes, etsi indulgentiis ditatae, ibidem usurpantur, nova indigent huius sacrae Rituum Congregationis adprobatione, secus in posterum licite adhiberi nequeunt.

Si vero in ista Dioecesi extent Religiosae Familiae sub hoc ipso titulo, ... earum Superiores de praesen-

tibus Apostolicae Sedis dispositionibus ac statutis certiores reddere satagat.

Quae dum pro mei muneris ratione ..... communico, diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Romae die 2, Iulii 1892.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. Secretarius.

DECRETUM

DUBIA. — Postquam litterae a sacra Rituum Congregatione, die 10 Decembris 1890, de cultu Sacrae Familiae singularum Dioecesium Ordinariis transmissae fuerunt, eidem sacrae Congregationi sequentia Dubia proposita sunt, nimirum:

I. An Seminaria, Collegia, Congregationes et Religiosae Familiae possint per formulam novissime a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII, approbatam semet Sacrae Familiae consecrare, itemque Paroeciae, Dioeceses ac Regiones?

II. Preces ab eodem Sanctissimo Domino Nostro itidem approbatae atque indulgentiis ditatae a singulis Familiis coram imagine Sacrae Familiae recitandae, possuntne in Ecclesiis publicis usurpari?

III. Licet ne familiis, quae iam speciali ratione Sancto Ioseph se consecrarunt, semet Sacrae Familiae dedicare?

IV. Quum permultae orationes, litaniae, formulae consecrationis Sacrae Familiae et alia huiusmodi in pluribus locis circumferantur, quomodo providendum?

Et sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunata, referente me infrascripto Cardinali Praefecto, omnibus rite perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. Quoad Seminaria, Collegia et singulas Domos Congregationum ac Familiarum Religiosarum, *Affirmative*; quoad Paroecias, provisum per consecrationem familiarum in singulis Paroeciis; quoad cetera *Non expedire:*

Ad II. *Affirmative*, sed coram Imagine Sacrae Familiae:

Ad III. *Affirmative*:

Ad IV. Quoad litanias, comprehendi sub universali vetito Litaniarum, quae explicite approbatae non fuerint a Sede Apostolica; quoad orationes, formulas consecrationis aliasque preces sub quovis titulo ad Sacram Familiam honorandam adhibitas, mittendas esse ab Ordinariis locorum, nec non a Superioribus Religiosarum Congregationum, ut debito examini subiiciantur; secus in posterum licite usurpari nequeant. Die 13 Februarii 1892.

De his autem facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua resolutiones sacrae eiusdem Congregationis ratas habuit, et confirmavit. Die 18, iisdem mense et anno.

CAIETANUS Card. ALOISI-MASELLA
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. Secretarius.

VIII.

Summarium omnium et singularum Indulgentiarum

Archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti in ecclesia S. Mariae supra Minervam de Urbe canonice erectae concessarum.

(ex *Rescripta authent.* pag. 427).

—

I. *A Paulo V. die 3 Novembris 1606.*

1. Indulgentia plenaria cuicumque utriusque sexus Christifideli pro die, qua quisque confessus ac sacra Communione refectus Sodalitio nomen dederit.

2. Indulgentia plenaria confratribus et consororibus eiusdem Sodalitatis, qui vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti processioni Sanctissimi Sacramenti, quae die octava solemnitatis Corporis Domini peragi solet singulis annis, interfuerint, illudque associaverint orantes pro pace, et christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione.

Haec indulgentia fuit inde ab Innocentio XII, die 27 Novembris 1694, ad feriam sextam post Corporis Domini solemnitatem immediate sequentem translata.

3. Eamdem indulgentiam consequi possunt omnes confratres et consorores, qui legitime impediti praedictam processionem comitari nequiverint, dummodo tamen vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et ut supra oraverint.

4. Indulgentia plenaria omnibus et singulis confratribus et consororibus, qui confessi ac sacra Communione refecti, ac in mortis articulo constituti sanctissimum Iesu Nomen ore, si potuerint, sin minus, corde saltem invocaverint.

5. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum confratribus et consororibus, qui vere poenitentes et confessi, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in festo Corporis Domini sumpserint, et ut supra oraverint.

6. Indulgentia centum dierum singulis confratribus et consororibus quotiescumque divinis officiis et Sodalitatis processionibus interfuerint.

7. Indulgentia centum dierum confratribus et consororibus in qualibet feria sexta totius anni visitantibus ecclesiam, in qua Confraternitas reperitur erecta.

8. Indulgentia centum dierum confratribus et consororibus, qui saltem poenitentes et confessi, processionem feria quinta in Coena Domini peragendam comitati fuerint.

9. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum confratribus et consororibus, quotiescumque sanctissimum Sacramentum, quum ad infirmos vel alio defertur, cum lumine aut sine lumine associaverint.

II. *A Clemente X. die 24 Ianuarii 1673.*

10. Indulgentia centum dierum confratribus et consororibus, pro qualibet vice, qua cadaver alicuius Christifidelis defuncti ad sepulturam associaverint.

III. *A Benedicto XIV. die 2 Augusti 1749.*

11. Indulgentia centum dierum confratribus et consororibus, quotiescumque Missis in ecclesia seu capella vel oratorio Confraternitatis pro tempore celebrandis;

12. Seu congregationibus publicis vel privatis Confraternitatis ubivis faciendis;

13. Vel quibuscumque processionibus de licentia Ordinarii peragendis, interfuerint;

14. Aut pauperes hospitio susceperint;

15. Vel pacem inter inimicos aut dissidentes composuerint, seu componi fecerint vel procuraverint;

16. Vel si impediti sanctissimum Eucharistiae Sacramen-

tum, tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias quocumque et quomodocumque pro tempore deferetur, comitari nequiverint, et campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem et Salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum eiusdem Confraternitatis recitaverint;

17. Aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint;

18. Vel ignorantes Dei praecepta, et ea, quae ad salutem sunt, docuerint;

19. Vel infirmitate aut carcere detentos visitaverint, aut aliquo spirituali seu temporali subsidio subvenerint;

20. Vel quodcumque alind pietatis vel charitatis opus exercuerint.

IV. *A Pio IX. die 13 Iunii 1853.*

21. Indulgentia plenaria confratribus et consororibus, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, processioni in Dominica tertia cuiuslibet mensis, et feria quinta in Coena Domini fieri solitae interfuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium iuxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, revocata indulgentia septem annorum etc. in supraenuntiatis diebus a Paolo V. elargita.

22. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum confratribus et consororibus, qui locum, ubi Sanctissimum Sacramentum asservatur, feria quinta in Coena Domini corde saltem contrito et devote visitaverint, ac ut supra oraverint; revocata indulgentia centum dierum ab eodem Paulo V. concessa.

23. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum confratribus et consororibus semel in die acquirenda, si pariter corde contrito horis vespertinis, in aliqua ecclesia seu publico oratorio, Sanctissimum Sacramentum visitaverint, et ut supra oraverint.

V. *Indulgentiae omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui ad honorem et cultum Sanctissimi Sacramenti sese in sequentibus piis operibus exercuerint, concessae ab Urbano IV. anno 1264 per suam Bullam incipientem* Transiturus, *qua festivitatem Corporis Domini instituit, a Martino V. die 26 Maii 1429 ampliatae, et ab Eugenio IV. die 26 Maii 1433 confirmatae et adauctae.*

1. Indulgentia bis centum dierum omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi in pervigilio festivitatis Corporis Domini ieiunaverint, aut aliud opus pium iuxta consilium confessarii peregerint.

2. Indulgentia quatuor centum dierum cuicumque Christifideli poenitenti et confesso, qui officio divino in primis et secundis vesperis, ac Missae eiusdem festivitatis interfuerit.

3. Indulgentia centum sexaginta dierum, quotiescumque in praedicto festo horis Primae, Tertiae, Sextae, Nonae et Completorii, quis intervenerit pro qualibet ipsarum horarum.

4. Indulgentia bis centum dierum, quotiescumque praefatis sacris functionibus Vesperarum, Matutini et Missae diebus octavae eiusdem festivitatis quis interfuerit pro quolibet ipsorum operum.

5. Indulgentia octoginta dierum pro singulis reliquis horis in diebus praedictis.

6. Indulgentia bis centum dierum cuicumque, si sacerdos sit, Missam celebraverit, si vero laicus, sacram Communionem devote sumpserit, et processionem Sanctissimi Sacramenti in dicta festivitate, aut alia octavae die comitatus fuerit, orando pro pace et sanctae Matris Ecclesiae tranquillitate.

VI. *A Paulo V. praedicta die 3 Novembris 1606.*

7. Indulgentia bis centum dierum omnibus Christifidelibus, qui processionem a Sanctissimi Sacramenti Sodalitate

in Dominica tertia cuiuslibet mensis, et feria quinta in Coena Domini fieri solitam, comitati fuerint.

8. Indulgentia quinque annorum totidemque quadragenarum parochis ceterisque utriusque sexus Christifidelibus, qui sine lumine Sanctissimum Sacramentum, cum ad infirmos, aut alio defertur, processionaliter associaverint.

9. Indulgentia centum dierum omnibus Christifidelibus, qui impediti, Sanctissimum Sacramentum, ut supra comitari nequiverint, unum *Pater noster* et *Ave Maria* recitaverint, et ut supra oraverint.

10. Indulgentia centum dierum omnibus et singulis mulieribus, quae ex iusta causa dictum Sanctissimum Sacramrntum associare nequiverint, et unum *Pater noster* et *Ave Maria* recitaverint, ac pro infirmo oraverint.

VII. *A Ven. Innocentio XI. die 1 Octobris 1678.*

11. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, quotiescumque in quolibet loco Sanctissimum Sacramentum ad infirmos cum lumine prosecuti fuerint, et pro pace et concordia, ut supra oraverint.

VIII. *Ab Innocentio XII. die 3 Ianuarii 1695.*

12. Indulgentia trium annorum totidemque quadragenarum omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui quotiescumque legitime impediti, Sanctissimum Sacramentum, cum ad infirmos defertur, comitari personaliter nequiverint, lumen pro illius associatione miserint.

IX. *A Benedicto XIV. die 13 Septembris 1749 et a Pio IX. die 13 Iunii 1853.*

13. Omnes et singulae praefatae indulgentiae, sive plenariae sive partiales, possunt animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicari.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis prae-

posita praesens Summarium uti authenticum recognovit, typisque imprimi ac publicari posse permisit. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 14 Iulii 1853.

NB. Eadem sacra Congregatio die 23 Aprilis 1676 declaravit, Confraternitates omnes et singulas Sanctissimi Corporis Christi, ubique terrarum Apostolica vel Ordinaria auctoritate erectas aut erigendas, statim ab earumdem erectione, absque nova alia aggregatione esse debere participes omnium privilegiorum, indulgentiarum etc. a Paulo V. Archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti de Minerva in Urbe concessarum ac in posterum a S. Sede concedendarum.

Concordat cum originali.

Fr. Ios. Sanvito, Mag. Ord. Praed. Vic. Generalis.

APPENDIX SECUNDA

FORMULARUM

I.

Formulae Benedictionum cum indulgentia plenaria.

Modus dandi benedictionem papalem ab Episcopis et aliis Praelatis servandus.

(*Ex Litteris Apostolicis Clementis XIII, d. d. tertio nonas Septemb. 1762, incipient.* Inexhaustum).

Ritus et formula a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis pro impertienda benedictione una cum plenaria Indulgentia post Missarum solemnia, triplici signo Crucis emisso et in episcopali throno cum mitra ceterisque sacris paramentis indutis, circumstantibus ministris, adhibendus, quod congrue de Praelatis inferioribus intelligatur, talis esse debet:

Expleta in utraque solemnitate Missae solemnis celebratione, imprimis alta voce per ministrum superpelliceo indutum legantur Litterae Apostolicae, quibus Indulgentia plenaria conceditur una cum potestate benedictionem apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione adstan-

tibus constet, et concessio ex latino sermone in vulgarem ad populi intelligentiam translata recitetur [1]). Postea Episcopus surgens, iuxta ritum in Caeremoniali Episcoporum expressum dicet:

Precibus et meritis beatae Mariae semper Virginis, beati Michaelis Archangeli, beati Ioanni Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum:

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos Iesus Christus ad vitam aeternam.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae et fructuosae poenitentiae, cor semper poenitens et emendationem vitae, perseverantiam in bonis operibus tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis, Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus†Sancti, descendat super vos, et maneat semper. ℟. Amen.

Demum, post impertitam benedictionem publicabitur la-

1) " Avant tout, l'on devrait lire en latin et en langue vulgaire le rescrit pontifical accordant à l'évêque le pouvoir de donner cette bénédiction. Mais le S. Congrégation des Indulgences a déclaré plusieurs fois (le 30 juin 1840. — Decr. auth., n. 282 — et le 14 juillet 1885 — Cf. Münst. Pastoralblatt 1885 p. 122) que, s'il y a un motif raisonnable (p. ex., pour ne pas trop prolonger l'office, ou parce que le rescrit papal a déjà été lu souvent, ou pour tout autre motif semblable), cette lecture peut être omise, et à sa place il suffira de reciter en latin et en français la formule finale *(Attentis facultatibus)*, pour faire savoir aux fidèles que la bénédiction est donnée en vertu d'une autorisation pontificale „ (Beringer Les Indulgences III partie section III formules diverses 24).

tino et vernaculo idiomate concessio plenariae Indulgentiae sequenti formula:

Attentis facultatibus a Sanctissimo in Christo Patre et Domino nostro, Domino Leone, divina providentia Papa XIII, in enuntiatis Apostolicis Litteris expressis, datis Reverendissimo Domino N., Dei et Apostolicae Sedis gratia huius sanctae N. Ecclesiae Antistiti, eadem Dominatio Sua Reverendissima Summi Pontificis nomine dat et concedit omnibus hic praesentibus Indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta. Rogate igitur Deum pro felici statu Sanctissimi Domini Nostri Papae, Dominationis Suae Reverendissimae et sanctae Matris Ecclesiae.

Modus dandi benedictionem papalem a regularibus servandus.

(Ex Benedicti XIV, Epistola Encyclica Exemplis praedecessorum, *d. d. 19 Mart. 1748).*

Admoneatur populus de Indulgentia a Sede Apostolica concessa, de praeceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die quo visitanda est designata ecclesia, de hora denique qua dabitur pontificia benedictio. De quibus quatenus opus sit, etiam schedis impressis, et consuetis locis palam affixis, certior fiat.

Postquam statutis die et hora populus ad ecclesiam convenerit, alta voce legantur Apostolicae Litterae. seu decreta, quibus Indulgentia conceditur, una cum potestate benedictionem apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet; et concessio ex latino sermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam con-

versa pronuntietur. Populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur; post quae sacerdos, nullis circumstantibus ministris, stola et superpelliceo indutus (ut in Rituali romano praescribitur, cum agitur de benedictionibus, quae extra Missam presbyteris permittuntur) ante altare genuflexus, sequentibus verbis Dei opem imploret:

℣. Adiutorium nostrum... ℟. Qui fecit...

℣. Salvum fac populum tuum, Domine,

℟. Et benedic haereditati tuae.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde stans sequentem recitet orationem:

Oremus. — Omnipotens et misericors Deus, da nobis auxilium de Sancto, et vota populi huius in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque benedictionem praestolantis et gratiam, clementer exaudi: dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinae benedictionis effunde, qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem et vitam consequatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum. — ℟. Amen.

Post quam ad cornu Epistolae accedat, (ut in Actis Ecclesiae Mediolanensis, parte 4: Benedicet in Ecclesia ad Altare stans in cornu Epistolae) et stans in cornu Epistolae non trina, hoc est, triplici signo crucis, sed una benedictione, unico videlicet signo Crucis benedicat, proferens alta voce haec verba:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater †, et Filius, et Spiritus Sanctus. — ℟. Amen.

Ritus benedictionis apostolicae in articulo mortis a sacerdotibus ad id delegatis impertiendae.

(A Benedicto XIV,
in bulla Pia Mater, *d. d. 5 Aprilis 1747 praescriptus),*

Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum ubi iacet infirmus, dicat:

Pax huic domui etc.

Ac deinde aegrotum, cubiculum et circumstantes aspergat aqua benedicta dicendo Antiphonam:

Asperges etc.

Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de huius benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem et vitam sit consecuturus aeternam. Postea dicat:

℣. Adjutorium... ℟. Qui fecit...

Antiphona. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (*vel* ancillae tuae), neque vindictam sumas de peccatis eius.

Kyrie, eleison. Christe eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* ancillam tuam, *et sic deinceps*).

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Domine, exaudi... ℟. Et clamor meus...

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem: secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N., quem tibi vera fides et spes christiana commendant. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge, ut eius anima in hora exitus sui te iudicem propitiatum inveniat; et in sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. — Amen.

Tum dicto ab uno ex clericis adstantibus *Confiteor*, etc., sacerdos dicat: *Misereatur...* Deinde:

Dominus noster Iesus Christus, Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti; et ego facultate mihi ab apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, † et Filii, et Spiritus Sancti. — Amen.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis et futurae vitae poenas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. — Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater †, et Filius, et Spiritus sanctus. — Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum suppetat tempus, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur.

II.

Formulae Benedictionum propriarum

nonnullis Ordinibus Regularibus

(ex Appendice ad Rituale Romanum).

Benedictio et impositio scapularis sanctissimae Trinitatis.

(Propria Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum).

Sacerdos indutus superpelliceo et stola albi coloris dicit:

℣. Adiutorium nostrum, *etc.* — ℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum. — ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Domine Iesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensam tuae largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiae et humilitatis indicium abrenuntiantes saeculo ferre

sanxerunt, tu ita bene † dicere digneris, ut hic famulus tuus (*vel* haec famula tua) N., qui (*vel* quae) hoc indutus (*vel* induta) fuerit vestimento, te quoque induere mereatur. Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. — Amen.

Postea aspergit aqua benedicta.

MODUS IMPONENDI DICTUM SCAPULARE.

℣. Adiutorium nostrum, *etc.* — ℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominum vobiscum, — ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Adesto, Domine, supplicationibus nostris: ut hunc famulum tuum (*vel* famulam tuam), cui in tuo nomine habitum Religionis sanctissimae Trinitatis imponimus, tu ita bene † dicere digneris, ut te largiente devotus (*vel* devota) persistat, et vitam consequi mereatur aeternam. Per Dominum nostrum Iesum Christum, *etc.* — ℟. Amen.

Nunc imponitur sacrum scapulare a sacerdote dicente:

Accipe habitum sanctissimae Trinitatis in augmentum fidei, spei, et charitatis; in nomine Patris, et Filii †, et Spiritus sancti.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulo tuo (*vel* famulae tuae) in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia maiestatis adorare unitatem: quaesumus, et eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniatur adversis.

Deus, qui per sanctos Ioannem et Felicem Ordinem sanctissimae Trinitatis, ad redimendum de potestate Saracenorum captivos, coelitus instituere dignatus es: praesta, quaesumus, ut eorum suffragantibus meritis, a captivitate corporis et animae, te adiuvante, liberetur hic famulus tuus (*vel* haec famula tua). Per Christum Dominum nostrum. — ℟. Amen.

Suscipiat te sanctissima Trinitas in numerum confratrum consororumque Confraternitatis nostrae: et licet te indigne suscipimus, in orationibus tamen nostris precamur, ut tibi sanctissima Trinitas concedat tempus bene vivendi, constantiam perseverandi; et sicut nos hodie fraterna caritas spiritualiter iungit in terris, ita divina pietas, quae dilectionis est auctrix et amatrix, nos cum fidelibus suis coniungere dignetur in coelis. Per Christum Dominum nostrum. — ℟. Amen.

Datur benedictio dicendo:

Pax et benedictio Dei omnipotentis, Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti, descendat super te (*vel* super vos), et maneat semper. — ℟. Amen.

Benedictio habitus, ac receptio confratrum B. Mariae Virginis de monte Carmelo.

(*Propria Ordinis Carmelitarum*).

Sodalitati huic nomen daturus, ipso die ad poenitentiae atque Eucharistiae Sacramenta accedat, ut plenariam Indulgentiam a Paulo V concessam lucrari valeat.

Si fieri potest, scapulare benedicendum est ad altare B. V. Mariae de monte Carmelo, duobus cereis accensis.

Sacerdos superpelliceum induat una cum stola albi coloris. Genuflexo, qui habitum recipit, sacerdos stans dicat:

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae: iustitia plena est dextera tua.

Kyrie, eleison. — Christe, eleison. — Kyrie, eleison. — Pater noster, *etc.*, *secreto.*

℣. Et ne nos inducas, *etc.* ℟. Sed libera, *etc.*

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* salvam fac famulam tuam),

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto,

℟. Et de Sion tuere eum (*vel* eam).

℣. Nihil proficiat inimicus in eo (*vel* ea),

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine, exaudi, *etc.* ℟. Et clamor meus, *etc.*

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Suscipiat te Christus in numero fidelium suorum, et nos, licet indigni, te suscipimus in orationibus nostris. Concedat tibi Deus per Unigenitum suum, Mediatorem Dei et hominum, tempus bene vivendi, locum bene agendi, constantiam bene perseverandi, et ad aeternae vitae haereditatem feliciter perveniendi; et sicut nos hodie fraterna caritas spiritualiter iungit in terris, ita divina pietas, quae dilectionis est autrix et amatrix, nos cum fidelibus suis coniungere dignetur in coelis. Per eumdem Christum Dominum nostrum. — ℟. Amen.

℣. Adiutorium nostrum, *etc.* ℟. Qui fecit, *etc.*

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum,

℣. Domine, exaudi, *etc.* ℟. Et clamor meus, *etc.*

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Aeterne Pater et omnipotens Deus, qui Unigenitum tuum vestem nostrae mortalitatis induere voluisti: obsecramus, immensam tuae largitatis bene † dictionem in hoc genus effluere vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiae et humilitatis indicium a renuntiantibus saeculo gestari sanxerunt, et sic ipsum bene † dicere digneris, ut quicumque eo usus fuerit, induere mereatur ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. — ℟. Amen.

Oremus. — Suppliciter te, Domine, rogamus, ut super hunc habitum servo tuo (*vel* ancillae tuae) imponendum bene † dictio tua benigna descendat, ut sit bene † dictus, atque divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium et invisibilium tela nequissima. — ℟. Amen.

Aspergat habitum aqua benedicta, et imponendo dicat:

Accipe, vir devote (*vel* mulier devota), hunc habitum benedictum: precantes sanctissimam Virginem, ut eius meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat aeternam. — ℟. Amen.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hunc

famulum tuum (*vel* hanc ancillam tuam), quem (*vel* quam) Sodalitati sanctae Religionis Carmelitarum sociamus, perpetua tribue firmitate corroborari, ut perseveranti proposito, in omni sanctitate tibi valeat famulari.

Protege, Domine, famulum tuum (*vel* ancillam tuam) subsidiis pacis, et beatae Mariae semper Virginis patrociniis confidentem a cunctis hostibus redde securum (*vel* securam).

Bene † dicat te Conditor coeli et terrae, Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad beatissimae Virginis Mariae de monte Carmelo Societatem et Confraternitatem: quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius; et tandem tamquam victor palmam et coronam sempiternae haereditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum. — ℟, Amen.

Si autem habitus solum sit benedicendus, incipitur a ℣. *Adiutorium nostrum,* usque ad Orationem *Suppliciter* inclusive.

Deinde aspergat confratrem aqua benedicta, et subiungat:

Ego auctoritate, qua fungor, et mihi concessa, recipio te ad Confraternitatem sacrae Religionis Carmelitarum, et investio, ac participem te facio omnium bonorum spiritualium eiusdem Ordinis. In nomine Patris, et Fi † lii, et Spiritus sancti. — ℟. Amen.

(Si plures sint habitu induendi, preces praedictae dicantur suis locis in plurali, praeter: *Accipe, vir devote,* etc., quod unicuique seorsim dicendum est ad habitus impositionem).

His expletis, describatur confratris nomen in codice Confraternitatis, et paucis, sed efficacioribus verbis sacerdos eum adhortetur ad caute, pie, sancteque vivendum, ne Deiparam offendat, quam in posterum peculiari devotionis obsequio et affectu colere ac veluti singularem ac dulcissimam Matrem prosequi fas erit.

Formula brevior benedicendi et imponendi scapulare B. M. V. de monte Carmelo.

(*Ab omnibus adhibenda sacerdotibus facultatem habentibus adscribendi Christifideles Confraternitati eiusdem Scapularis*).

℟. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, ℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi... ℣. Dominus vobiscum.

Oremus. — Domine Iesu Christe, humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum tuaeque Genitricis Virginis Mariae de Monte Carmelo amorem servus tuus devote est delaturus, dextera tua sanctifica, ut eadem Genitrice tua intercedente, ab hoste maligno defensus in tua gratia usque ad mortem perseveret: Qui vivis.

Deinde aspergat aqua benedicta habitum et postea ipsum imponat dicens:

Accipe hunc habitum benedictum, precans Sanctissimam Virginem, ut eius meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat atque ad vitam perducat aeternam. Amen.

Deinde dicat:

Ego, ex potestate mihi concessa, recipio te ad participationem omnium bonorum, spiritualium quae, cooperante misericordia Iesu Christi, a Religiosis

de Monte Carmelo peraguntur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Bene † dicat te Conditor coeli et terrae Deus omnipotens, qui te cooptare dignatus est in confraternitatem B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, quam exoramus, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis antiqui; atque palmam et coronam sempiternae haereditatis tandem consequaris. Per Christum Dominum nostrum. — ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

Benedictio scapularis nigri et rosarii seu coronae septem dolorum B. M. V.

(*Propria Ordinis Servorum B. M. V.*)

Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus dicat:

℣. Adiutorium... ℟. Qui fecit...

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, qui morte Unigeniti tui mundum collapsum restaurare dignatus es, ut nos a morte aeterna liberares, et ad gaudia regni coelestis perduceres; respice, quaesumus, super hanc familiam servorum tuorum in nomine beatissimae Virginis septem Doloribus sauciae congregatam, de cuius gremio hic famulus tuus (*vel* haec famula tua) esse cupit (*vel* hi famuli tui, *vel* hae famulae tuae esse cupiunt), ut augeatur numerus tibi fideliter servientium, omnibus saeculi et carnis perturbationibus liberatus (liberata, liberati, liberatae), et a laqueis diaboli securus (secura, se-

curi, securae), intercessione eiusdem beatae Mariae Virginis, beatorum Augustini et Philippi ac septem nostrorum beatorum Patrum Ordinis Fundatorum, vera gaudia possideat (*vel* possideant). Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Conversus ad habitum (seu scapulare) super altare positum, sacerdos dicit:

Oremus. — Domine Iesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es : obsecramus immensam largitatis tuae abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod sancti Patres nostri ad innocentiae humilitatisque indicium, in memoriam septem Dolorum B. Virginis Mariae, nos ferre sanxerunt, ita bene † dicere digneris, ut qui (*vel* quae) illis fuerit indutus (*vel* induta, *seu* induti *vel* indutae), corpore pariter et anima induat (*seu* induant) te Salvatorem nostrum. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. — ℟. Amen.

Aspergit habitum aqua benedicta, dicens:

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.

Deinde benedicit *Rosarium septem Dolorum B. M. V.* dicens:

℣. Adiutorium nostrum... ℟. Qui fecit...

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Omnipotens et misericors Deus, qui propter nimiam charitatem, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum Iesum Christum, pro redemptione nostra de coelis ad terram descendere, carnem suscipere et crucis tormen-

tum subire voluisti : obsecramus immensam clementiam tuam, ut hanc coronam, in memoriam septem Dolorum Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicatam bene † dicas et sancti † fices, et ei tantam Spiritus Sancti virtutem infundas, ut quicunque eam recitaverit, ac secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo a beatissima Virgine Maria tibi bonis operibus coronatus praesentari mereatur. Per eumdem Christum Dominum... ℟. Amen.

Deinde sacerdos aspergat coronam aqua benedicta.

Sacerdos imponit habitum et cuilibet coram se genuflexo dicit:

Accipe, carissime frater (*vel* carissima soror) habitum Beatae Mariae Virginis, singulare signum servorum suorum, in memoriam septem Dolorum, quas in vita et morte unigeniti Filii sui sustinuit, ut ita indutus (*vel* induta) sub eius patrocinio perpetuo vivas. — ℟. Amen.

Reddit rosarium dicens:

Accipe coronam Beatae Mariae Virginis in memoriam septem Dolorum contextam, ut dum eam ore laudaveris, eius poenas toto corde compatiaris. Amen.

Hortatur adscriptum, ut regulas observet ad sacras Indulgentias assequendas; denique dat benedictionem:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Fi † lii, et Spiritus Sancti, descendat super te (*vel* super vos) et maneat semper. — ℟. Amen.

Benedictio scapularis rubri Passionis et sacratissimi Cordis D. N. I. C. necnon et Cordis amantissimi ac compatientis beatae Mariae Virginis immaculatae.

(Propria Congregationis Missionum).

Genuflexo, qui suscepturus est scapulare, sacerdos superpelliceo et stola rubra indutus, capite detecto, dicat:

℣. Adiutorium.... ℟. Qui fecit....

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Domine Iesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es, temetipsum exinanivisti, formam servi accipiens, et factus obediens usque ad mortem crucis: tuae largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem et memoriam dolorosissimae Passionis tuae tuique sacratissimi Cordis, necnon et Cordis amantissimi ac compatientis immaculatae Matris tuae institutum fuit, atque ut illo induti haec mysteria devotius recolant, benedi † cere digneris; ut hic famulus tuus, qui (*vel* haec famula tua, quae) ipsum gestaverit, te quoque, per tua merita et intercessionem beatissimae Virginis Mariae, induere mereatur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟.

Hic sacerdos sacrum scapulare aqua benedicta aspergit, et illud imponit, dicens:

Accipe, carissime frater (*vel* carissima soror), hunc habitum benedictum, ut veterem hominem exutus (*vel* exuta), novumque indutus (*vel* induta) ipsum

digne perferas, et ad vitam pervenias sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde subiungit:

Et ego, ex facultate mihi concessa, recipio te (*vel* vos) ad partictpationem omnium bonorum spiritualium, quae per sanctae Sedis Apostolicae privilegium huic sancto scapulari in gratiam Congregationis Missionis concessa sunt. In nomine Patris, et Filii †, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Denique dicatur trina vice versiculus sequens:

Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.

Ritus benedicendi et imponendi scapulare ceruleum in honorem Conceptionis beatae Mariae Virginis immaculatae.

(Proprius Cleric. Regul. Theatinorum).

Qui susceptturus est scapulare, genuflectat, et sacerdos superpelliceo et stola alba indutus, capite detecto, dicat absolute:

℣. Adiutorium.... ℟. Qui fecit....

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Domine Iesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es, tuae largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem et memoriam Conceptionis beatae Mariae Virginis immaculatae, necnon ut illo induti exorent in hominum pravorum morum reformationem, institutum fuit, benedi † cere digneris, ut hic famulus tuus, qui eo usus fuerit (*vel* haec

haec famula tua, quae eo usa fuerit; *si plures susceperi sint, dicatur:* hi famuli tui, qui eo usi fuerint, *vel* hae famulae tuae, quae eo usae fuerint), eadem beata Maria Virgine intercedente, te quoque induere mereatur (*vel* mereantur). Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postea sacerdos, nihil dicendo, aspergit scapulare vel scapularia aqua benedicta, deinde illud imponit dicens:

Accipe, frater (*vel* soror), scapulare Conceptionis B. Mariae Virg. immaculatae, ut, ea intercedente, veterem hominem exutus (*vel* exuta), et ab omni peccatorum inquinamento mundatus (*vel* mundata), ipsum perferas sine macula, et ad vitam pervenias sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea subiungit:

Et ego, ex facultate mihi concessa, recipio te (*vel* vos) ad participationem bonorum omnium spiritualium, quae in Clericorum Regularium Congregatione ex gratia Dei fiunt, et quae per sanctae Sedis Apostolicae privilegium concessa sunt. In nomine Patris, et Filii †, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Describat nomen eius (*vel* nomina eorum) in libro consueto, et dicat trina vice, flexis genibus, Orationem sequentem vulgari sermone una cum adscripto (*vel* adscriptis):

Laudes ac gratiae sint omni momento sanctissimo ac divinissimo Sacramento. — Et benedicta sit sancta et immaculata Conceptio beatae Virginis Mariae, Matris Dei.

Hortetur fideles, ut haec elogia saepius repetant ad indulgentias consequendas.

Benedictio et impositio Cincturae Beatae Mariae Virginis.

(Propria Ordinis Eremitarum S. Augustini).

Sacerdos superpelliceo ac stola alba indutus, dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Omnipotens et misericors Deus, qui peccatoribus, pietatis tuae misericordiam quaerentibus, veniam et misericordiam tribuis: oramus clementiam tuam; ut hanc corrigiam bene ✝ dicere, et sanctificare digneris, ut omnis persona, quae pro peccatis suis illa praecincta fuerit, atque eam portaverit, gratam tibi continentiam, mandatorumque tuorum obedientiam servet, et intercedentibus beata Maria semper Virgine, ac sanctis Augustino et Monica, veniam peccatorum suorum obtineat, et vitam consequatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. — Precamur te, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: ut hanc corrigiam in signum puritatis bene ✝ dicas, ad restringendos lumbos et renes, et voluntatem sub tua lege comprimendam; ut quicumque illam devotionis studio semper portaverit, et misericordiam tuam imploraverit, veniam et indulgentiam tuae sanctissimae misericor-

diae consequatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Coronae.

Oremus. — Domine Iesu Christe, qui discipulos tuos orare docuisti: suscipe, quaesumus, bene † dicendo orationes famulorum, famularumque tuarum; ut illorum oratio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Qui vivis. ℟. Amen.

Benedictio personae.

Oremus. — Adesto, Domine, supplicationibus nostris: ut hic famulus tuus (*vel* haec famula tua), cui in tuo sanctissimo nomine hanc corrigiam imponimus, te largiente semper devote in sancta religione persistat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde ipsam aspergat aqua benedicta.

Postea eam cingens corrigia, dicat:

Accipe corrigiam super lumbos tuos: ut sint lumbi tui praecincti, in signum temperantiae et castitatis. In nomine Patris, et Filii †, et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde dicat sacerdos:

Dominus qui coepit in vobis opus bonum, et ipse perficiat: et augmentum gratiae et gloriae, meritis beatae Mariae semper Virginis, et sancti Augustini, eiusque devotissimae matris Monicae, vobis concedat. Amen.

Et ego auctoritate qua fungor, indultoque Apostolico mihi commisso, vos recipio, atque accepto:

et participes omnium bonorum, quae fiunt per totum Ordinem sancti Augustini, constituo.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii †, et Spiritus Sancti, descendat super vos, et maneat semper. ℟. Amen.

Benedictio Chordae S. Francisci Assisiensis.

(Propria Ordinis Minorum Conventualium).

Sacerdos indutus superpelliceo ac stola alba dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Ora pro nobis, beate Pater Francisce,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Deus, qui, ut servum redimeres, Filium tuum per manus impiorum ligari voluisti: bene † dic, quaesumus, funem istum, et praesta, ut famulus tuus, qui (*vel* famula tua, quae) eo velut ligamine poenitentiali sui corporis cingetur, vinculorum eiusdem Domini nostri Iesu Christi perpetuo memor existat, et in ordine, quem assumpsit, perenniter perseveret, tuisque cum affectu semper obsequiis se alligatum (*vel* alligatam) esse cognoscat. Per Dominum nostrum Iesum Christum etc. ℟. Amen.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, qui omnibus peccatoribus quaerentibus veniam et misericordiam, quaesita et optata misericorditer tribuisti: ora-

mus immensam clementiam tuam, ut has chordas (*vel* hanc chordam) benedicere † et sanctificare digneris; ut quicumque iis (*vel* ea) pro peccatis suis cincti fuerint (*vel* cinctus fuerit) et clementiam tuam imploraverint (*vel* imploraverit), meritis et intercessione beatissimi servi tui Francisci veniam et indulgentiam suorum peccatorum, fructumque tuae sanctae misericordiae consequantur (*vel* consequatur). Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta; mox sacerdos cingendo confratrem chorda, dicat:

Accipe chordam super lumbos tuos: ut sint lumbi tui praecincti in signum castitatis. In nomine Patris, et Filii †, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Formula benedicendi et imponendi quinque scapularia, *scilicet Ord. SS. Trinitatis, Passionis D. N. I. C., B. M. V. de monte Carmelo, Immaculatae Conceptionis, et septem Dolorum B. M. V. approbata a Leone PP. XIII, die 29 Iul. 1886* (v. s. part. II. pag. 107).

(*Pro Sacerdotibus Cong. SS. Redemptoris*).

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine, exaudi, *etc.* ℟. Et clamor meus, *etc.*
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Domine Iesu Christe, omnium caput fidelium, et humani generis Salvator, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensam largitatis tuae abundantiam, ut indumenta haec in obsequium SS. Trinitatis instituta

nec non in honorem et memoriam dolorosissimae Passionis tuae, in honorem beatissimae Virginis Matris tuae sine labe conceptae, doloresque tuos ac vices peramanter dolentis (et Carmeli Ordinem suo patrocinio decorantis) ita bene † dicere et sancti †-ficare digneris, ut qui (*vel* quae) ea assumpserint, eadem Genitrice tua intercedente, te quoque Salutare nostrum, corpore et anima induere mereantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Sacerdos aspergat aqua benedicta).

MODUS INDUENDI.

Sacerdos omnibus scapularia singillatim imponat, ac deinde formulam proferat supra omnes simul.

1. Accipite habitum Ordinis SS. Trinitatis in fidei, spei, et charitatis augmentum; ut induatis novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate.

2. Accipite scapulare Passionis Domini nostri Iesu Christi, ut veterem hominem exuti novumque induti, ipsum digne perferatis, et ad vitam perveniatis sempiternam.

3. Accipite habitum Ordinis B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, ut eius patrocinio ab omni errore et adversitate liberati, Domino fideliter serviatis.

4. Accipite scapulare devotorum B. M. V. sine labe conceptae, ut eius intercessione ab omni inquinamento mundati, ad vitam perveniatis aeternam.

5. Accipite habitum Servorum B. M. V. septem Dolores eius devote recolentium, ut dolores ipsos

assidue recogitantes, Passionem D. N. I. C. in corde et corpore vestro impressam iugiter teneatis.

Ego, ex facultate apostolica mihi delegata, recipio vos in participationem bonorum spiritualium et indulgentiarum, quibus praedicti Ordines seu Congregationes pollent. In nomine † Patris, et Filii †, et Spiritus † Sancti. ℟. Amen.

℣. Salvos fac servos tuos,

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis auxilium de Sancto,

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis,

℟. A facie inimici.

℣. Nil proficiat inimicus in eis,

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

℣. Domine, exaudi orationem meam, ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et quibus in tuo nomine sacros habitus imposuimus, ita bene † dicere digneris, ut tuae gratiae cooperantes, vitam consequi mereantur aeternam. Per Christum...

Benedictio Dei omnipotentis, † Patris, et † Filii, et Spiritus † Sancti descendat super vos et maneat semper. ℟. Amen.

Formula recitetur numero singulari, si uni tantum personae sint scapularia imponenda.

Benedictio Scapularis B. M. V. De Mercede.

QUANDO NON TRADITUR VEL IMPONITUR

Sacerdos indutus stola alba dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus — Domine Iesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensae largitatis tuae abundantiam; ut hoc genus vestimentorum, quod sancti Patres ad innocentiae et sanctitatis indicium ferre sanxerunt, ita bene†dicere digneris; ut qui hoc usus fuerit, te induere mereatur. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus. — Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui te maxime mirabilem et laudabilem praebes in gloriosissima Virgine Maria, unigeniti Filii tui Matre, qui nobis eam in misericordiae Matrem donasti, captivorum redemptricem effecisti, in ipsaque glorificari complaces: tuam supplices exoramus clementiam, ut super hoc signum (scapulare seu vestimentum), pro ipsius sanctissimae Virginis veneratione adaptatum, et super quamlibet ipsius partem, sacram tuam bene†dictionem benignus effun-

das; et praestes, ut qui eam devote coluerit, potentissimum Redemptricis supernae experiatur auxilium, tuamque misericordiam piissimam in praesenti et in futuro saeculo. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. — Clementissime Domine Deus, qui beatissimam Virginem Mariam, Filii tui felicissimam Matrem byssino splendenti et candido in aeternum fulgere fecisti; bene†dicere, quaesumus, velis album istud operimentum, in eiusdem Virginis Matris, captivorum auxiliatricis, honorem consecratum; ut qui veneretur devote, a malis omnibus sit liber, et superno byssino in coelis vestiri mereatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Alia benedictio habitus seu Scapularis

QUANDO TRADITUR VEL IMPONITUR.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Domine Iesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensae largitatis tuae abundantiam: ut hunc habitum, quem sancti Patres ad innocentiae et sanctitatis indicium ferre sanxerunt, ita bene†dicere digneris, ut qui eo usus fuerit te induere mereatur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergat habitum aqua benedicta, et postulantem induat dicens:

Ego auctoritate D. N. Iesu Christi, et Apostolorum Petri, et Pauli, et mihi ab Ordine commissa, do tibi habitum Religionis Beatae Mariae de Mercede propter devotionem quam geris ad Sacratissimam et Immaculatam Matrem Dei Mariam, et Ordinem, eius sub nomine fundatum, cum quo in praesenti gratiam Spiritus Sancti adipisci valeas, et in futuro saeculo gloriam aeternam, quae premium est electorum. In nomine Patris, et Filii, † et Spiritus Sancti. Amen.

Postea dicatur:

Hymnus. — Veni, Creator Spiritus, etc.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur,

℟. Et renovabis faciem terrae.

℣. Salvum fac servum tuum, *(vel* ancillam tuam),

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Adesto Domine supplicationibus nostris, et hunc famulum tuum *(vel* hanc famulam tuam) bene†dicere digneris, cui in tuo sancto nomine habitum sanctae Religionis Beatae Mariae de Mercede imponimus, quem ex devotione cupit portare, dum vitam duxerit in humanis: ut te largiente, et devotus *(vel* devota) in Ecclesia persistere, et vitam percipere mereatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde dici potest Ant. Salve Regina etc. Sub tuum praesidium etc. Monstra te esse Matrem etc. ℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix, ℟. Ut digni efficiamur etc.

Oremus. — Deus, qui per gloriosissimam Filii tui Matrem, ad liberandos Christifideles a potestate paganorum, nova Ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es: praesta, quaesumus, ut quam pie veneramur tanti operis Institutricem, eius pariter meritis et intercessione, a peccatis omnibus et captivitate daemonis liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Per intercessionem piissimam beatissimae Virginis Mariae Misericordiae et Mercedis Matris, captivorumque redemptricis, descendat super te benedictio coeli copiosa, ut sis benedictus *(vel* benedicta) ex hoc nunc et usque in saeculum. Benedictio Dei omnipotentis Patris, et Filii †, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Benedictio rosariorum B. Mariae V.

(*Propria Ordinis Praedicatorum*).

℣. Adiutorium.... ℟. Qui fecit....

℣. Domine, exaudi orationem meam, ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Omnipotens et misericors Deus, qui propter eximiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum Iesum

Christum, de coelis in terram descendere, et de beatissimae Virginis Mariae Dominae nostrae utero sacratissimo, angelo nuntiante, carnem suscipere, crucemque ac mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam, ut *(hoc signum)* haec signa rosarii in honorem et laudem eiusdem Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli *(dicatum)* dicata bene † dicas et sancti†fices, *(eique)* eisque tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicumque horum quodlibet secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, et in *(eo)* eis ad te, secundum huius sanctae Societatis instituta, divina contemplando mysteria, devote oraverit, salubri et perseveranti devotione abundet, sitque consors et particeps omnium gratiarum, privilegiorum et indulgentiarum, quae eidem Societati per sanctam Sedem Apostolicam concessa fuerunt, ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo ab ipsa B. Virgine Dei Genitrice tibi plenus bonis operibus praesentari mereatur. Per eumdem Dominum... ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

Methodus pro erigendis stationibus Viae Crucis.

(*Propria Ordinis Minorum Observantium S. Francisci*).

Sacerdos superpelliceo et stola violacei coloris indutus, uno saltem clerico adhibito, qui ei opportuno tempore porrigere possit vasculum aquae benedictae cum aspersorio et

thuribulum cum incensi navicula, ascendit altare, ibique stans, brevi sermone super praestantia et utilitate pii exercitii Viae Crucis populum alloquetur. Deinde genuflexus in infimo gradu intonabit Hymnum:

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quae tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus Paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Tempore Paschali:

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur,

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus. — Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

Defende, quaesumus, Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, populum istum (*vel* familiam istam) ab omni adversitate, et toto corde tibi

prostratum (*vel* prostratam) ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Dominum nostrum... ℟. Amen.

Benedictio tabularum pictarum (*si adsunt*).

℣. Adiutorium.... ℟. Qui fecit....

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines sculpi aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriae oculis meditemur: has, quaesumus, imagines in honorem et memoriam unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi adaptatas bene † dicere et sancti † ficare digneris; et praesta, ut quicumque coram illis unigenitum Filium tuum suppliciter colere et honorare studuerit, illius meritis et obtentu a te gratiam in praesenti et aeternam gloriam obtineat in futuro. Per eumdem Christum Dominum.... ℟. Amen.

Tunc sacerdos eas aspergit aqua benedicta et incensat. In Oratorio privato omitti potest incensatio.

Benedictio crucium (*quae ex ligno esse debent*).

℣. Adiutorium..... ℟. Qui fecit....

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, ut digneris bene † di-

cere haec signa crucis tuae, ut sint remedia salutaria generi humano; sint soliditas fidei, bonorum operum profectus, et redemptio animarum; sint solamen et protectio ac tutela contra saeva iacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus. — Bene † dic, Domine, has cruces, quia per crucem sanctam tuam eripuisti mundum a potestate daemonum et superasti Passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in praevaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem.

Tunc sacerdos eas aspergens dicat:

Sanctificentur ista crucis signa in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti, ut orantes inclinantesque se propter Deum ante istas cruces inveniant sanitatem animae et corporis. Per Christum.... ℟. Amen.

Deinde cantatur sequens Hymnus:

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget Crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.

Impleta sunt, quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.

Beata, cuius brachiis
Pretium pependit saeculi,
Statera facta corporis,
Tulitque praedam tartari.

O Crux, ave, spes unica,
Hoc Passionis tempore [1]),
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

1) Loco versus: *Hoc Passionis tempore,* qui dicitur tempore Passionis, tempore paschali dicitur: *Paschale quae fers gaudium;* alio tempore: *In hac triumphi gloria.*

Te, fons salutis, Trinitas,
Collaudet omnis spiritus:
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen.

HYMNUS.

Stabat Mater dolorosa,
Iuxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius;
Cuius animam gementem,
Contristatam et dolentem,
Pertransivit gladius.
O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quae moerebat, et dolebat,
Pia Mater, dum videbat
Nati poenas inclyti.
Quis est homo qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari;
Christi Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suae gentis
Vidit Iesum in tormentis
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem Natum
Moriendo desolatum,
Dum emisit spiritum.
Eia Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam. Amen.

Sacerdos accedens ad locum primae stationis, osculatur crucem et tabulam, easque vel per se, vel per laicum decenti habitu indutum, collocat in loco ad id praeparato; deinde legit meditationem et preces huic stationi respondentes; quod et fiet in ceteris stationibus. Quibus finitis cantatur Hymnus *Te Deum*, cum versiculo *Benedicamus Patrem* etc., oratione *Deus, cuius misericordiae* etc.

Tunc sacerdos benedicit populum cum cruce.

INDEX

Proemium. . . . . *pag.* v

PARS PRIMA

DE INDULGENTIIS IN GENERE

Caput i. De conceptu indulgentiae . . . . . „ 1
art. i. De conceptu indulgentiae pro vivis. „ „
art. ii. De conceptu indulgentiae pro defunctis . . . . . „ 5
Caput ii. De divisione. . . . . „ 8
Caput iii. De concedente seu faciente indulgentias. „ 10
art. i. De natura potestatis faciendi indulgentias . . . . . „ 11
art. ii. De subiecto potestatis . . . . „ 14
§ 1. De subiecto iuxta ius divinum . . „ „
§ 2. De subiecto iuxta ius ecclesiasticum. „ 16
De Romano Pontifice. . . . . „ „
De Inferioribus Papa . . . . . „ 20
1. De Inferioribus Papa in communi. „ „
2. De Inferioribus Papa in particulari. „ 23
1. De iis qui habent potestatem ordinariam . . . . . „ 24
De Episcopis . . . . . „ „
De S. R. E. Cardinalibus. . . . „ 28
De Patriarchis et Primatibus . . „ 30
De Archiepiscopis . . . . . „ „

De Praelatis inferioribus . . *pag.* 32
De Conciliis . . . . . „ 33
2. De iis qui potestatem habent vicariam vel delegatam. . . . . „ 34
De Vicario Generali . . . . . „ „
De Vicario Capitulari . . . . „ 35
De illis qui potestatem habent communicandi indulgentias . . . „ 36
Caput iv. De subiecto . . . . . „ „
Caput v. De conditionibus necessariis ad lucrandas indulgentias . . . . . „ 38
art. i. De statu gratiae . . . . . „ 39
art. ii. De intentione . . . . . „ 41
art. iii. De adimpletione operum praescriptorum . . . . . „ 45
§ 1. De necessitate adimplendi opera praescripta . . . . . „ „
§ 2. De modo adimplendi opera praescripta . . . . . „ 46
Normae communes . . . . . „ 47
Normae speciales . . . . . „ 55
De Confessione . . . . . „ 56
De Communione . . . . . „ 58
De Eleemosyna . . . . . „ 59
De Ieiunio . . . . . „ 61
De Oratione . . . . . „ 62
De Visitatione Ecclesiae vel Altaris . „ 67
Caput vi. De suspensione, translatione ac cessatione. „ 74
art. i. De suspensione . . . . . „ „
art. ii. De translatione . . . . . „ „
art. iii. De cessatione seu extinctione . „ 76

PARS SECUNDA

DE INDULGENTIIS IN SPECIE

SECTIO I.

DE INDULGENTIIS GENERALIBUS

Caput i. De indulgentiis personalibus . . . . *pag.* 83
art. i. De indulg. benedictionis papalis. „ „
§ i. De notione . . . . . „ „
§ 2. De conditionibus . . . . . „ 84
art. ii. De indulgentia in articulo mortis. „ 87
§ 1. De notione . . . . . „ „
§ 2. De conditionibus . . . . . „ „
Conditiones pro indulgentia in articulo mortis ferenda . . . . . „ 88
Conditiones pro indulg. in art. mortis lata. „ 91
art. iii. De indulgentia Iubilaei . . . . „ 93
§ 1. De notione ac divisione. . . . . „ „
§ 2. De regulis servandis pro iubilaeo. „ 94
Regulae pro iubilaeo Romae celebrando. „ 95
1. De regulis communibus . . . . . „ „
Opera exsequenda. . . . . „ „
Suspensio indulgentiarum ac facultatum „ 96
Concessiones novarum facultatum . . „ 98
2. De regulis specialibus . . . . . „ 100
Opera exsequenda . . . . . „ „
Facultates . . . . . „ 101
Regulae pro extensione iubilaei. . . „ „
Opera exsequenda. . . . . „ 102
Facultates . . . . . „ „
art. iv. De indulgentiis pro delatione scapularis . . . . . „ 103
§ 1. De notione et divisione. . . . . „ „
§ 2. De conditionibus . . . . . „ 105

ART. V. De indulgentiis adnexis actui heroico charitatis . . . . . *pag.* 110
§ 1. De notione . . . . . „ „
§ 2. De indulgentiis ac privilegiis. . „ 113
ART. VI. De indulgentiis Bullae Cruciatae. „ 114
§ 1. De notione Bullae Cruciatae . . „ 115
§ 2. De indulgentiis . . . . . „ 118
§ 3. De conditionibus . . . . . „ 121
ART. VII. De aliquot aliis indulgentiis. . „ 124
§ 1. Indulgentiae pro primo Sacro . „ „
§ 2. Indulg. pro christiana catechesi. „ „
§ 3. Indulgentiae pro Angelus Domini „ 125
§ 4. Indulgentia pro explicatione Evangelii . . . . . „ 127
§ 5. Indulgentia pro oratione mentali. „ 128
§ 6. Indulgentia pro psal. De profundis „ „
§ 7. Indulgentia pro signo Crucis . . „ 129
CAPUT II. De indulgentiis realibus. . . . . „ „
ART. I. De indulg. realibus in communi. „ „
ART. II. De indulgentiis realibus in particulari . . . . . „ 133
§ 1. De indulgentiis Apostolicis. . . „ „
§ 2. De indulgentiis crucium etc. Terrae Sanctae . . . . . „ 138
§ 3. De indulgentiis crucifixorum . . „ 143
§ 4. De indulgentiis coronarum. . . „ 145
Corona Rosarii S. Dominici . . . . „ „
Coronae S. Birgittae . . . . . „ 151
Coronae benedictae a Crucigeris . . „ 157
§ 5. Indulgentiae statuae S. Petri . . „ 158
CAPUT III. De indulgentiis localibus . . . . . „ 159
ART. I. De indulgentiis stationalibus . „ „
§ 1. De notione . . . . . „ „
§ 2. De indulgentiis . . . . . „ 160
§ 3. De conditionibus . . . . . „ 163

ART. II. De indulgentiis pro visitatione septem urbis Ecclesiarum . . . . *pag.* 164
ATR. III. De indulgentiis pro visitatione 7 altarium privilegiator. urbis Basilicarum. „ 165
ART. IV. De indulgentia Portiunculae . . „ „
§ 1. De notione . . . . . „ „
§ 2. De conditionibus . . . . . „ 166
ART. V. De indulgentiis Scalae sanctae. „ 167
ART. VI. De indulgentiis Viae Crucis. . „ 168
§ 1. De notione . . . . . „ „
§ 2. De indulgentiis . . . . . „ 169
§ 3. De conditionibus . . . . . „ 170
§ 4. De cessatione . . . . . „ 174
Appendix. De Crucifixis Viae Crucis. . „ 175
ART. VII. De indulgentia altaris privilegiati „ 177
§ 1. De notione et divisione . . . . „ „
§ 2. De conditionibus . . . . . „ 178
§ 3. De concessionibus . . . . . „ 182
ART. VIII. De aliquot aliis indulgentiis . „ 185
§ 1. Indulgentiae pro expositione 40 horarum . . . . . „ „
§ 2. Indulgentiae pro solemni expositione in feria v. in Coena Domini et in feria VI. in Parasceve . . . . . „ „
§ 3. Indulgentiae pro visitatione SS. Sacramenti . . . . . „ 186

SECTIO II.

DE INDULGENTIIS PARTICULARIBUS

CAPUT I. De indulgentiis Religiosorum . . . . „ 187
ART. I. De indulgentiis Ord. Regularium „ 191
§ 1. De indulg. ex Bulla *Romanus Pontifex* „ „
§ 2. De indulgentiis ex communicatione privilegiorum . . . . . „ 198

ART. II. De indulgentiis Congregationum religiosarum. . . . . *pag.* 199
ART. III. De indulg. aliarum societatum . „ „
CAPUT II. De indulgentiis Confraternitatum . . . „ 201
ART. I. De natura Confraternitatum. . „ 203
§ 1. De notione et divisione. . . . „ „
§ 2. De erectione. . . . . „ 208
§ 3. De interno regimine atque administratione . . . . . „ 216
§ 4. De officiis ac iuribus relate ad alia Collegia vel Personas. . . . . „ 218
§ 5. De modo obtinendi indulgentias. „ 226
§ 6. De cessatione seu extinctione. . „ 230
ART. II. De adscriptione in Confraternit. „ 233

APPENDIX PRIMA

DOCUMENTORUM

I. Regulae a Benedicto XIV pro Iubilaeo traditae. „ 3
II. Summarium indulgentiarum et gratiarum confratribus B. Virginis Mariae de Monte Carmelo a Summis Pontificibus concessarum. . . . „ 38
III. Summarium indulgentiarum et spiritualium gratiarum quibus ecclesiae... sacrosanctae Vaticanae Basilicae aggregatae Apostolica auctoritate ditantur . . . . . „ 42
IV. Summarium indulgentiarum eccles. Lateranensi et aliis ecclesiis eidem incorporatis concessarum „ 46
V. Constitutio de lege Franciscalium Tertii Ordinis Saecularis . . . . . „ 49
VI. Breve SS. D. N. Leonis Papae XIII quo praescribuntur formulae benedictionum ac absolutionum generalium servandae ab omnibus Ordinibus Regularibus ac Tertiariis . . . . „ 59
VII. De statutis indulgentiis ac privilegiis piae Associationis Sacrae Familiae. . . . . „ 66

VIII. Summarium omnium et singularum indulgentiarum Archiconfraternitati SS. Sacramenti in ecclesia S. Mariae supra Minervam de Urbe canonice erectae concessarum. . . . . *pag.* 81

APPENDIX SECUNDA

FORMULARUM

I. Formulae Benedictionum cum indulg. plenaria. „ 87
Modus dandi benedictionem papalem ab Episcopis et aliis Praelatis servandus. . . . . „ „
Modus dandi benedictionem papalem a regularibus servandus . . . . . „ 89
Ritus benedictionis apostolicae in articulo mortis a sacerdotibus ad id delegatis impertiendae. » 91
II. Formulae benedictionum propriarum nonnullis Ordinibus Regularibus . . . . . » 93
Benedictio et impositio scapularis SS. Trinitatis „ „
Modus imponendi dictum scapulare . . . . „ 94
Benedictio habitus ac receptio confratrum beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo . . . . „ 95
Formula brevior benedicendi et imponendi scapulare B. Mariae Virginis de Monte Carmelo . „ 99
Benedictio scapularis nigri et rosarii seu coronae septem dolorum beatae Mariae Virginis . . „ 100
Benedictio scapularis rubri Passionis et sacratissimi Cordis D. N. I. C. necnon et Cordis amantissimi ac compatientis B. Mariae V. immaculatae „ 103
Ritus benedicendi et imponendi scapulare ceruleum in honorem Conceptionis beatae Mariae Virginis immaculatae . . . . . „ 104
Benedictio et impositio Cincturae B. Mariae Virg. „ 106
Benedictio Coronae . . . . . „ 107
Benedictio Personae . . . . . „ „
Benedictio Chordae S. Francisci Assisiensis . . „ 108

Formula benedicendi et imponendi quinque scapularia . . . . . *pag.* 109
Modus induendi. . . . . „ 110
Benedictio scapularis B. Mariae Virg. de Mercede „ 112
Alia benedictio habitus seu scapularis, quando traditur vel imponitur . . . . . „ 113
Benedictio rosariorum beatae Mariae Virginis. „ 115
Methodus pro erigendis stationibus Viae Crucis. „ 116
Benedictio tabularum pictarum . . . . . „ 118
Benedictio crucium . . . . . „ „

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
16	25	23	28
22	12	delegandi	delegatam
53	5	2	6
„	14	18	12
64	21	20	29
70	23	397. 27	399. 29
76	7	1882	1852
89	14	28	23
90	7	1837	1836
94	22	16 Feb.	15 Mart.
98	15	tribuitur parochis ac confessariis	tribuitur confessariis
105	5	1863	1868
109	20	15	12
114	23	art. v.	art. vi.
130	7	1844	1864
132	6	1849	1847
149	30	2	20
169	23	17	7
170	24	8	3
171	9	405	445
172	25	144. 2752	194. 1752
„	30	1942	1842
173	9	35	25
174	8	1889	1839
„	11	211	311
„	18	1766	1760
177	1	art. v.	art. vii.
185	1	art. vi.	art. viii.

IMPRIMATUR

Fr. Raph. Pierotti Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Patr. Const. Vicesgerens.

Books printed in Italy

236.49
M 481 MELATA, BENEDICT 26782

AUTHOR Manuale
De Indulgentiis

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	Corcran
	O'Brien, J.
	STORAGE - CBPL

26782